Tissot D. Med.

62806/B

N
a* 14

The Library of the
Wellcome Institute for
the History of Medicine

MEDICAL SOCIETY
OF LONDON

Accession Number

Press Mark
(1-3) LUDWIG, C.G.

XIX 6R

CHRISTIANI GOTTLIEB LVDWIG,
YSIOLOGIAE P. P. O. COLLEGII B. M. V. COLLEG.
ET SOC. REG. BORVSS. SCIENT. SODALIS

# INSTITVTIONES
# HERAPIAE
## GENERALIS
## PRAELECTIONIBVS
### ACADEMICIS
### ACCOMMODATAE.



LIPSIAE
X OFFICINA GLEDITSCHIANA
MDCCLIV.

# COMMILITONIBVS
## AESTVMATISSIMIS
## S.

Nunc tertiam Vobis medicinae partem, therapiam ſcilicet generalem exhibeo, et impenſe mihi gratulor, quod promiſſis meis ſtare, et praelectionum mearum ſummam, typis expreſſam, abſoluere potuerim. Licet enim et praecedentes, qui phyſiologiam et pathologiam proponunt, et praeſens libellus paruae molis ſint, nec omnem artis ſalutaris

doctrinam exhauriant, fundamenta tamen rerum cognoſcendarum declarant, et breuiſſima ad medicinam pertractandam via vos ducunt. Equidem cognoſco eius modi compendia medicinae nihil noui habere, nec verborum copia onerari debere, cum viua vox docentis ea, quae deſiderari poſſunt, addat: omnis tamen eorundem vis atque perfectio in eo conſiſtit, ut nexu rerum propoſitarum et ſelectu earum propoſitionum, quae ad medicum formandum neceſſaria ſunt, ſe ſe commendent: ita, ut in phyſiologia nihil ſit, quod non requiratur in pathologia atque therapia, nec in therapia declaretur, quod ex praecedentibus non deducatur. Eum itaque finem mihi propoſui, ut ex doctrinis phyſicis generalibus, anatome et chemia, tanquam diſciplinis, ad medicinam praeparantibus, poſitiones et experientias, certas viſas, et ex iisdem ſani et aegroti hominis ideam, nec non praecepta, de aegroto corporis ſtatu in ſanum reducendo, elicerem.

Sic

Sic mihi et meis ſcripſi Auditoribus, nec ad doctoris medici communis, doctrina et eruditione inclareſcentis, laudes unquam aſpiraui. Mihi nimirum ſcripſi, quod rerum medicarum huiusque cognitarum expoſitionem iis vocabulis et dictionibus, quae nexum rerum proponendarum iterum in animum meum reducere valent, expresſi: Commilitonibus autem meis ſcripſi, quod normam propoſui, ad quam, attentam rerum medicarum conſiderationem ſuſcipientes earum nexum accuratius percipere, ea, quae coram in praelectionibus meis expono exemplisque illuſtro, addere, et in praeſtantisſimorum ſcriptorum libris inuentas, medicorum controuerſas ſententias diiudicare posſint. Ordinem itaque habemus meditationum, qui eos ita ad medicinam faciendam praeparabit, ut me in cognoſcenda et excolenda arte ſalutari hactenus duxit, et continua in nobis ſcientiarum incrementa admittit.

Si et exercitati in medicina docto-res, inſtitutiones noſtras medicas ad praelectiones academicas aptas cognoue-rint, inexpectati quid eueniet, quod me ad eas ſedulo perficiendas excita-bit. Cum enim muneris mei ratio me in docenda arte ſalutari ſemper oc-cupatum teneat, officium medici clini-ci me in continua hominis ſani et ae-groti conſideratione verſari iubeat, et amicitia, quam cum iis colo, qui me-dicinam in academia noſtra cum laude docent et inter ciues noſtros faciunt, nec non commercia literarum cum ex-teris, noua ſemper ſcientiae addant in-crementa, vitae meae ratio me ad hos labores omnino diſponit. Naturae viis inſiſtendum eſt, haec viuis rerum imaginibus et phaenomenis nos ſemper inſtruit, et, uti in aliis eruditionis partibus docta librorum lectio ſola, ſci-entiarum incrementa praeſtat, ſic in diſciplinis phyſico medicis excolendis, omnium rerum, quae nos ambiunt, attenta conſideratio largam ſubminiſtrat

occa-

occaſionem, acquiſitam rerum cognitionem perficiendi.

In iis igitur, quos hucuſque propoſui libellis, primas tantum lineas artis ſalutaris duxi, quarum uberiori explicatione, in ſcholis publicis et priuatis ſuſcepta, Vobis, Optimi Commilitones, omni ſtudio inſeruire annitar. Ita vero Vos liberos eſſe volo, ut, ſi quid in meis, quod naturae conuenienter dixi, inueniatur, aſſenſum veſtrum omnino exigat, ſi quid, quod legi naturae non reſpondet, irrepſerit, ſi attenta phaenomenorum conſideratio, aliter Vos inſtruxerit, ut a me recedatis ſuadeo: coecum enim aſſenſum nec praeceptoribus meis praeſtiti, nec a Vobis eundem deſidero. Circa dubia tamen oborta candide Vox exhortor, ne facile credatis, ſi ab aliis prolata quaedam dogmata veritatis ſpeciem referre videntur, ſi confidentius ab eorum auctoribus Vobis obtruduntur. Ea potius, quae ſemel

iterumque diſquiſita, et magis magisque confirmata, ſunt, tandem Veſtrum aſſenſum promereantur. Sciatis enim inter tot phaenomena, quae res naturales nobis offerunt, naturae luſus ſaepius occurrere, qui imperitis imponunt, ſedulo igitur ad illam reſpiciatis normam, quam logica in diiudicandis veritatibus Vobis proponit, et medicum philoſophum ad ſummam, quae hominibus datur, cognitionem peruenire credatis. Valete. Dabam Lipſiae menſe Maio 1754.

THE

# THERAPIAE PROLEGOMENA.

§. 1308.

Medicus, qui morbum in aegro praeſentem cognoſcit, vel in ſolidis, vel in fluidis, vel in utrisque, aliquid mutatum eſſe perſpicit, quod auxiliis et remediis applicatis corrigere ſuſcipit, quo homini ſanitas vel perfecta reſtituatur, vel ad ninimum plurimae corporis actiones in ſtatum, ano ſimillimum, reducantur. Diximus itaque ſupra §. 91 therapiam generalem methodum medenli, ſiue rationem, qua corpus aegrotum in ſanum nutatur, declarare.

§. 1309.

Haec itaque diſciplina medica, ut rite proponaur et diſcatur, non tantum phyſiologiam et pathoogiam, quas nos praemiſimus, ſed et cognitionem limentorum, medicamentorum et remediorum chiurgicorum praeſupponit; haec enim omnia ſunt nſtrumenta, quibus mutationem corporis aegroti

perficimus. Ex his vero omnibus, tanquam praemiſſis poſitionibus, inter ſe comparatis, concluſio formatur, quae indicationem medicam, ſiue iudicium medici de applicandis corpori aegroto remediis, ſiſtit. Haec fundamenta therapiae generalis in tractationis noſtrae parte prima exhibentur.

§. 1310.

Ea vero, quae corpori aegroto applicantur, inſtrumenta ex diaetetico, pharmaceutico et chirurgico fonte petita, non niſi corpori viuo applicari poſſunt; quod quidem, quo magis viribus gaudet, et in vitalibus potiſſimum actionibus vigorem oſtendit, eo melius remediorum effectus ſuſcipere valet, hinc pars ſecunda de conſeruanda vita ſiue de indicatiotione vitali diſſerit.

§. 1311.

Vel exterius corpori applicatae vel interius in eo genitae cauſae morbum producunt; §. 993. ſeqq. quae, ſi ulterius praeſentes manent, eundem de die in diem peiorem reddunt, atque exaſperant; de iis itaque remouendis medicus ſollicitus ſit, antequam ipſum morbum aggrediatur; hinc pars tertia cauſalem, praeſeruatoriam ſiue prophylacticam quoque dictam, indicationem complectitur.

§. 1312.

His cauſis remotis, eas mutationes morboſas quas in ſolidis et fluidis, vel in motu fluidorum per ſolida enatas, videt medicus §. 932. ſeqq. tanquam morbos veros ſiue cauſas morborum proximas §. 1073 conſiderat, easque corrigere ſuſcipit ideoque veram therapeuticam ſiue curatoriam indicatio

cationem proſequitur, quae in parte quarta fuſius exponitur.

§. 1313.

Si tamen aliquando in aegroto quaedam ſymptomata ſeu morboſi effectus, qui a morbo vel cauſis morborum pendent, vehementiori impetu ſaeviunt, ideoque, dum vires vitae frangunt, ipſam curationem morbi vel impediunt vel retardant; eo reſpiciendum eſt, ut eadem vel abigantur, vel ex parte ſopiantur, cuius rei ratio exemplis quibusdam in parte quinta declaratur.

§. 1314.

Hunc itaque therapiae generalis ambitum in introductione in medicinam, a §. 91 ad 95 breuiſſimis indicatum et hic loci repetitum, ſequenti nunc tabula adumbramus:

Pars I. Fundamenta therapiae generalis ſiſtit; agit itaque

Cap. I. De praeſupponendis in therapia generali.

II. De formandis indicationibus in genere.

§. 1315.

Pars II. Indicationem vitalem ſeu conſeruatoriam proponit; explicat ideo

Cap. I. Conſeruationem virium per alimenta,

Sect. 1. nutrientia.

2. roborantia.

II. Incitationem virium per medicamenta

Sect. 1. analeptica.

2. ſtimulantia.

§. 1316.

Pars III. Indicationem cauſalem, praeſeruatoriam ſiue prophylacticam exhibet, agit itaque

Cap. I. De erroribus diaetae corrigendis.

II. De venenorum efficacia infringenda.

III. De plethora imminuenda.

IV. De cacochymia corrigenda.

§. 1317.

Pars IV. Indicationem therapeuticam ſiue curatoriam proponit, agit ideo

Cap. I. De rigiditate ſolidorum relaxanda.

II. De laxitate ſolidorum roboranda.

III. De unitate ſoluta combinanda.

IV. De tenuitate humorum inſpiſſanda.

V. De ſpiſſitudine humorum reſoluenda.

VI. De acido morboſo corrigendo.

VII. De alcalino morboſo corrigendo.

VIII. De motu nimio ſolidorum et fluidorum compeſcendo.

IX. De motu imminuto ſolidorum et fluidorum excitando.

X. De obſtructione vaſorum et viſcerum, reſerranda.

XI. De euacuatione primarum viarum.

Sect. 1. per vomitoria.

2. per purgantia.

XII. De euacuationibus ſeroſis,

Sect. 1. per ſudorifera.

2. per diuretica.

3. per ſialagoga.

Sect

Sect. 4. per ſternutatoria.
5. per veſicatoria. cet.
Cap. XIII. De euacuationibus ſanguineis,
Sect. 1. per phlebotomiam.
2. per alios modos.

§. 1318.

Pars V. Indicationem ſymptomaticam ſiue palliatiuam ſiſtit, et agit
Cap. I. De dolore compeſcendo.
II. De excretionibus moderandis.

# PARS I.
## DE FVNDAMENTIS THERAPIAE GENERALIS.

§. 1319.

Omnem quaſi cognitionem medici colligit et ad ultimum artis ſalutaris finem ducit therapia generalis. In ea itaque explicanda primum oſtendendum eſt, quo modo per rationem et experientiam in praemiſſis diſciplinis acquiſita cognitio nunc ordine apto diſponatur, quo utilia et certa ſubtilius tantum diſputatis et minus certis praeferantur, id quod ad ductum diſciplinarum praeſupponendarum in capite primo declaraturi ſumus.

§. 1320.

Principia vero, ex illis diſciplinis hauſta, ſunt fundamentum concluſionis, quae tandem oſtendit, quid in aegro et quo modo id mutandum ſit; hinc indicantia, ex aegri diſpoſitione deſumta, indicationis fundamentum ſunt et indicatum, contra indicantibus remotis, porro definiunt, quam quidem doctrinam de formanda indicatione, ut genuinam medendi methodum, in capite ſecundo in genere expoſituri ſumus.

CAPVT

# CAPVT I.

## DE PRAESVPPONENDIS IN THERAPIA GENERALI.

§. 1321.

Subſidiis generalioribus eruditionis acquirendae inſtructus tiro medicus, ea, quae propius ad medicinam ducunt, et quae in praemittendis ſpecialibus §. 46 propoſuimus, ad finem ultimum obtinendum maxime ſibi neceſſaria eſſe credat, et nunc ad therapiam generalem accedens nexum diſciplinarum ex introductione in medicinam repetat. Cum vero non nulli ſint, qui ex ignorantia vel negligentia, concluſionibus tantum retentis, praemiſſas non attendunt, ſubſidia haec, quae ad therapiam omnino faciunt, denuo inculcabimus.

§. 1322.

Medicum quidem, in arte facienda conſtitutum, ad prima cognitionis principia non ſemper recurrere et methodi medendi regulas ex primis illius fundamentis repetere poſſe, nec ad lectulum aegroti vocatum theoriam medicam docere debere, omnino concedimus. Niſi vero haec fundamenta in ſcholis rite poſuerit, et interdum ſub ipſo artis exercitio repetendo excoluerit ad empiriam deducitur, quae neglectis artis principiis fallax et lubrica eſt.

§. 1323.

In therapia igitur, potiſſimum generali, in qua concluſiones ex omnibus doctrinis petitae formantur, eo reſpiciendum eſt, ut filum demonſtrationis ex genuinis principiis deducatur, hypotheſes non

non niſi ſub probabilitatis ſpecie proponantur et aſſumantur, ideoque concluſiones, quantum fieri poteſt, certae colligantur, et tanquam norma praxeos ſpecialis figantur.

§. 1324.

Phyſiologiam, per experientias phyſicas, anatomicas et chemicas accurate declaratam, ſemper ánte oculos habeat medicus. Qui enim ſanum hominis ſtatum conſiliis ſuis conſeruare ſuſcipit, eundem is etiam per auxilia et remedia reſtituere, et in aegroto ſtatu id potiſſimum agere debet, ut vitam et ſanitatem, in aegro ſuperſtitem, cognoſcat, et quantum a viribus vitae in medendo ſuſtineatur, perſpiciat.

§. 1325.

Eodem quoque modo pathologia maxime neceſſaria erit, cum morbum curare non poſſit medicus, quem nec cognouit nec accurate diiudicauit. Cauſas itaque et ſymptomata rimari et ex ſignis certis definire, diagnoſin formare et prognoſin certam praedicere, fundamenta ſunt, quibus indicationes therapiae omnino ſuperſtruuntur.

§. 1326.

Sed et inſtrumenta, ad corpus aegrotum mutandum apta, ſibi cognita reddat medicus. Cum igitur accurata materiae medicae cognitio acquirenda ſit, prae reliquis ex hiſtoria et ſcientia naturali ſimplicia, ſic dicta, medicamenta cognoſcere et ad chemiae generalis normam examinare diſcat, quo ex tanta corporum naturalium copia, quae in medendo applicantur, optima et ex bonitatis notis cognita ſeligat et applicet.

§. 1327.

Haec vero ſimplicia non ſemper ea ſub forma, qua a natura exhibentur, applicari poſſunt, praeparatione potius accurata, qua vires eorundem vel conſeruantur, vel colliguntur vel mitigantur, ad applicationem adaptantur, vel alia, ſi ſingula praefixo fini obtinendo non ſufficiunt, aliis miſcentur. Pharmaciae igitur cognitioni medicus omnino ſtudeat, praeſertim cum errores pharmacopoeorum, ex ignorantia vel negligentia commiſſos, perſpicere et corrigere debeat.

§. 1328.

Chirurgicae artis exercitium cum praxi quidem ſpeciali coniungitur §. 97. cum vero in therapia generali et indicationes occurrant, quae remedia ex apparatu chirurgico exigunt, et ab externis morbis, utpote in ſenſus incidentibus, ad naturam internorum ex analogia ſaepius concludi poſſit, is tandem in therapia addiſcenda felicius verſabitur, qui omnem theoriam chirurgicam et inſtrumentorum chirurgicorum et operationum, cum his perficiendarum, accuratam obtinuit cognitionem.

§. 1329.

Sed, cum ex HIPPOCRATIS dicto ars longa, vita vero breuis ſit, inter culturam harum diſciplinarum phyſico-medicam et applicationem medico-practicam magna differentia intercedit, ita ut ii, qui unam alteramque diſciplinam ſingulari modo perficere et ſcriptis illuſtrare tentant, ulterius quidem in ſcrutinio ſuo progredi debeant ac poſſint; ii vero, qui eas omnes olim in uſum praxeos conuertere volunt, ex iisdem, in ſcholis rite pertractatis, obſer-

uationes et experientias colligere et ad ultimum medicinae finem applicare diſcant.

# CAPVT II.
## DE FORMATIONE INDICATIONIS.

### §. 1330.

Obſeruationibus itaque et experientiis, et praeſupponendis poſitionibus, ex aliis diſciplinis deductis, inſtructus medicus illis, ut praemiſſis utitur, ex quibus concluſiones elicit, quid in aegroto corpore et per quaenam auxilia mutandum ſit. Praemiſſae illae ſunt indicantia, ex quibus indicatio conſtruitur, quae ulterius examinata ſic dicta indicata, ſiue ea, quae corpori applicanda ſunt, ut ſanum fiat, definit.

### §. 1331.

Indicantia itaque ſunt ſigna ſanitatis et morborum, ſiue omnia illa phaenomena, quae medicus in aegroto corpore nunc diſquirendo deprehendit. Licet enim primo intuitu ſigna morborum ad morbum cognoſcendum ſufficere videantur, euictum tamen omnino eſt, morbum cognoſci non poſſe, niſi is cum ſanitate olim praeſente, vel cum iis, quae in aegro adhuc inueniuntur, vitae viribus compararetur.

### §. 1332.

Medicus enim in examinando aegroto primum attendit, quo uſque actiones corporis ſani, adhuc ſuper-

ſuperſtites, inueniantur et quouſque illae in mutanda et expellenda morboſa labe cooperentur, poſtea vim ipſius morbi examinat, prout vel ſolidis vel fluidis partibus mutationem inducit, et viribus vitae agentibus reſiſtit, quo minus illae mutationem morbi in ſanitatem perficere queant.

§. 1333.

Dum vero medicus haec cuncta accurate perpendit et ſigna ſanitatis et morbi inter ſe comparat, intellectus eius ita inſtruitur, ut cognoſcat, quid ipſe in aegroto perficere debeat, quo aequilibrium actionum, a corpore perficiendarum, reſtituatur. Iudicium hoc medici, ex praemiſſis collectum, indicatio appellatur; hac enim inuenta medicus cognoſcit, quid in aegro ſuo potiſſimum et quidnam certe pro ratione ſtatus praeſentis mutare debeat.

§. 1334.

Generalis itaque indicatio eſt, quicquid ſanum in aegro deprehenditur, conſeruare, omne vero morboſum remouere. Cum vero et ſanitas et morbus ſint ſeries cauſarum et effectuum, et multa ſimul in indiuiduo aegroto obſeruanda occurrant, indicatio ipſa in partes diſponenda, modo iam deſcripto §. 91 ad 95 et §. 1310 ad 1313, ideoque vitalis, cauſalis, curatoria, et ſymptomatica ſigillatim perpendendae, et hae iterum ad normam capitum et ſectionum therapiae generalis praeſtandae erunt, quo medicus, in praxi conſtitutus, ex variis his indicationibus unam vel alteram, vel quasdam ſimul, attendere et proſequi queat.

§. 1335.

Oſtendit itaque concluſio, a medico facta, ſiue indicatio, quid ab eo agendum ſit. Is vero iam cognita habere debet varia remedia, quibus determinatos effectus in corpore producere valet. Haec itaque ſelecta ex indole naturali, praeparatione et compoſitione ſatis cognita et ad corporis aegroti mutationem, in ſanitatem apta inuenta, indicata dicuntur.

§. 1336.

Haec indicata inuoluunt aptum aegroti regimen, quod ſecundum cognitionem ſex rerum non naturalium, in diaeteticis acquiſitam, ad ipſius conditionem a medico diſponendum eſt; porro conuenientia medicamenta, quae ſolida et fluida morboſa corrigunt, eorumque motum vel augent vel moderantur; tandem etiam remedia chirurgica vel inſtrumenta, quibus corpus aegrotum mutatur. Indicata igitur ex triplici fonte diaetetico, pharmaceutico, et chirurgico petita, ut auxilia, corpus mutantia, applicantur.

§. 1337.

Quoniam vero morbi utplurimum compoſiti inueniuntur, ideoque multa ſimul indicantia occurrunt, ex quibus omnibus, inter ſe comparatis, indicatio et indicatum colligi debent, non raro euenire ſolet, ut indicatione et indicato iam inuentis et ſtabilitis, non nulla ex indicantibus contrariam urgeant indicationem ideoque contraindicantia fiant, quae ſuſcipiendam mutationem diſſuadent, et intentioni medici agentis repugnant.

§. 1338.

In dubio itaque hoc ſtatu indicantia denuo examinet medicus, ſique varia ex iis vel quoque adhuc noua deprehendat, quae primo factam indicationem confirment, tunc omnino illam proſequendam eſſe credat. Indicantia haec nouiter perpenſa, vel inuenta coindicantia dicuntur. Si vero indicantia, attentiore examine inuenta, correpugnantia ſunt, hoc eſt, cum contraindicantibus priori indicationi contradicunt, tunc illa intermittenda et alia medendi via eligenda erit.

§. 1339.

Haec quidem dubia, quae medico, in arte facienda conſtituto, interdum occurrunt, definienda ſunt, cui rei generalia quaedam axiomata inſeruiunt, quae huc potiſſimum redeunt:

1. Si duae indicationes urgent et ſimul atttingi nequeunt, tunc ſatis faciendum eſt primariae.
2. Si indicatio vitalis ſimul cum aliis urget, ſemper his illa praeferenda eſt; hac enim neglecta remedia fruſtra applicantur.
3. Si indicatio obſcura et incerta eſt, ex analogia morborum ſimilium, morbi praeſentis indicata petenda et caute tentanda ſunt.
4. Si tentata nocent, contraindicantia, et ideo reiicienda ſunt.
5. Si tentata proſunt, tunc vera indicantia fiunt, quae ſtatum morbi declarant, indicationem confirmant et ideo continuanda ſunt.
6. Si indicata incerta vitae periculum nullo modo inducunt, tentari omnino poſſunt, ſi ex his vitae periculum imminet, nihil agendum; melius enim eſt ſinere mori, quam occidere.

7. In ſummis malis ſemel tentanda ſumma remedia; in leuioribus aſcendendo a lenioribus ad fortiora tutius progredimur.
8. Optima remedia, idioſyncraſiae contraria, nocent, licet in aliis ſaepius praeſtantiſſima inuenta fuerint.

§. 1340.

Nos vero ad indicationum normam, ut ſciagraphia oſtendit, therapiam generalem pertractaturi, easdem ex indicantium fontibus breuiter declarabimus, quo indicatio ipſa inde accuratius definiri, et ita indicata ſiue remedia, quae ex materia medica, ut cognita aſſumimus, ad ipſam curationem applicari poſſint, quo generalis medendi methodus ubique eluceſcat, et ſuo tempore in praxi morborum ſpecialium ad eam prouocari queat.

PARS

# PARS II.

## DE INDICATIONE VITALI SEV CONSERVATORIA.

### §. 1341.

Omnium quidem actionum, per corpus perficiendarum, conſenſus vitam optimam ſiue ſanitatem conſtituit; vita tamen, licet plures in aegro corpore laeſae ſint actiones, ſuperſtes erit, dum modo ſanguis et humores coniuncti, per corpus et pulmones et per hos quidem aeris auxilio, circulationem ſuam adhuc abſoluant. Haec vero humorum circulatio in vaſis non elaſticum tantum eorum motum, ſed et vitalem fluidi neruei influxum exigit, quam ob rem etiam vigor neruorum ad vitam ſuſtinendam requiritur.

### §. 1342.

Officium itaque medici, vitam in primariis ſuis actionibus conſeruandi, eo redit, ut circulationem humorum, et cum ea coniunctas actiones, nec non liberum fluidi neruei in fibras influxum ſuſtineat. Circulatio vero ſanguinis et humorum, uti debet, abſolui non poterit, niſi corpus ſufficienter, et quidem per repletionem in fluidis et applicationem in ultimis ſolidis, nutritum ſit. Influxus vero fluidi neruei, qui his actionibus, ex voto ſuccedentibus, utplurimum quidem viget, interdum tamen uſu medicamentorum excitantium adiuuandus eſt.

§. 1343.

§. 1343.

Indicationem itaque vitalem ad duo capita reduci poſſe, ex his colligitur. Conſideramus enim vel conſeruationem lentam ſiue naturali ſimilem vel celerem virium refectionem per ea, quae exiliſſimos corporis canales ſubtili quadam vi penetrant, et ita excitant. In priori caſu ad remedia diaetetica, nutrientia et roborantia, reſpicimus, quibus aegrorum vires inſtaurantur, in altero autem caſu vigorem fluidi neruei in ſolidis mouendis, per apta medicamenta reficientia et ſtimulantia, ſuſtinemus.

Cum cor princeps ſit machina, a qua omnes ſequentes actiones dependent, conſeruatio vigoris in corpore languido per cardiaca fieri dicitur.

# CAPVT I.
## DE CONSERVATIONE VIRIVM PER ALIMENTA.

§. 1344.

Alimenta aſſumta, digeſta, in chylum et ſanguinem mutata, et per corpus circumducta, eam mutationem ſubeunt, qua in materiam, illi nutriendo aptam, conuertuntur, quae tandem, minimis corporis ſolidis applicata, vigorem elaſticum et vitalem eis conciliat. Concurrunt vero ad hanc mutationem praeſtandam plurimae actiones, quae in corpore aegroto ſaepius labefactatae inueniuntur. Exigit itaque aegroti hominis nutritio maiorem attentionem, quam ſani. Cum enim hic omnia ferme alimentorum genera digerat, ille tantum ſelectis quibusdam alimentis nutriendus eſt.

§. 1345.

§. 1345.

Indicatur vero nutritio aegroti neceſſaria, partim ex humorum eorumque laudabilium defectu, partim ex fibris, ad mutandos humores inertibus, hinc duplex etiam indicatio formatur, ſcilicet, ut materia, nutriendo corpori apta, ingeratur, et ita corpus exſuccum repleatur, et, ut porro materia ingeſta, per corpus diſtributa, ſuis locis applicetur et ita fibris minimis robur addatur. De nutrientibus igitur et roborantibus ſigillatim agimus, licet in applicatione ad corpus utrique indicationi ſimul ſatis faciendum ſit.

# SECTIO I.
## DE NVTRIENTIBVS.

§. 1346.

Humorum eorumque laudabilium imminuta quantitas, poſt longam inediam in aegris potiſſimum obſeruatur, quae vel a plenario alimentorum defectu, vel ab appetitu, in morbis acutis et chronicis prorſus deleto, inducta fuit. Sunt tamen et aliae cauſae, quibus humores nimium diſſipantur, v. c. haemorrhagia inſignis, vel aliae euacuationes ſupra modum auctae, et humorum penuriam inducentes, ut ſudor et diarrhoea cet.

§. 1347.

Quoniam vero actiones viſcerum, ad digeſtionem pertinentium, in aegrotis, in quibus omnes actiones languent, maxime debilitatae ſunt, medicus vires harum partium, in aegro cooperantium,

omnino reſpiciat, ideoque talia ſeligat alimenta, quae facilis digeſtionis ſunt, et in praeparatione, quam extra corpus ſubierunt, particulas, quae in chylum et ſanguinem mutandae ſunt, iam ſolutas oſtendunt.

§. 1348.

Porro quoque corpus aegrotum, viribus deſtitutum, acrimoniam quamcunque vel aliam quamlibet indolem peruerſam v. c. viſcidam, cibis inhaerentem, non ſubigere valet; tandem etiam corpus, vel languidum vel nimio aeſtu agitatum, ſpontaneae humorum corruptioni reſiſtere nequit; hinc in nutriendo aegroto corpore cibi, acrimonia vel alia peruerſa indole ſcatentes, euitentur, niſi forte acrimoniae, in corpore natae, immutandae conueniant.

§. 1349.

Optima nutritio, quae corpus, ſuccis deſtitutum, replet, ſi generatim de ea dicere velimus, ex iuſculis carnium bonae notae, omnibusque, iurulento hoc ſucco ſcatentibus, petenda eſt; iurulentum vero concentratum, viſcidum et pingue, omni modo euitetur §. 742 ſeqq. Iurulentum hoc tenue, naturae corporis animalis conueniens, optime etiam nutrit, ſi cum cerealibus granis optimaque earum parte §. 724 ſeqq. vel cum mollioribus oleribus §. 735. coquitur et praeparatur, et ita nutrientem vegetabilem ſuccum ſibi unit. Tandem et lac ipſum bonae notae et ex eo praeparatum ſerum §. 737 ſeqq. ſuo modo admittendum eſt.

§. 1350.

Haec quidem ad normam eorum, quae in diaeteticis propoſita, nunc citauimus, a medico ſeligi et aegroto

aegroto corpori applicari poſſunt. Quatenus vero ſelectus in acrimonia varia et peruerſa humorum indole attendendus ſit, cum ad indicationem curatoriam ſpectet, part. IV. cap. VI et VII. accuratius examinabimus. Generalia igitur quaedam tantum monita, circa aegrotorum nutritionem obſeruanda, hic appoſituri ſumus.

§. 1351.

Aegrotis et ex morbo conualeſcentibus non copioſum, ſed reiteratis vicibus nutrimentum propinetur, quod quidem ex ſolidioribus alimentis confici poteſt; praeuia tamen maſticatione intimius ſoluatur, vel, reiectis eius craſſioribus partibus, ſucci tantum deglutiantur. Carnium iuſcula et alia alimenta, ſub forma fluida exhibita, debilioribus concedenda ſunt; ſolidiora vero, quae ſaliuam maſticatione alliciunt, appetitum acuunt. Condimenta et aromata in debiliorum nutritione non quidem prorſus reiicienda, parcius tamen cibis adiicienda ſunt.

## SECTIO II.
## DE ROBORANTIBVS.

§. 1352.

Sola vero repletio et ſuccorum nutrientium ingeſtio non ſufficit; ſed applicatio ad minima ſeu nutritio ultima per apta roborantia adiuuatur. Haec potiſſimum indicantur, ſi poſt graues morbos longamque inediam ſolida minima quoque laxa reddita fuerunt, v. c. poſt febres acutas vel intermittentes, validis paroxiſmis et copioſis euacuationibus in primis per ſudorem comitatas.

§. 1353.

Roborantia, aegroto corpori in victu applicanda, ex fructibus horaeis potiſſimum petuntur, ex his tamen illi prae reliquis eligendi ſunt, qui acidi, vel potius acido auſteri inúeniuntur §. 732; reliqui enim acido dulces et aquoſi, licet nutriendi facultate non prorſus deſtituantur, in roborando tamen corpore parum valent. Ex pluribus, qui hic nominari merentur, ſequentes tantum adducamus: ceraſa, cydonia, fructus berberis, meſpila, granata et roſas.

§. 1354.

Cum vero fructus, qui crudis ſuccis ſcatent, ventriculo nimium moleſti ſint, maturi tantum eligantur, quippe qui, praeter roborandi virtutem, et lenem vim analepticam obtinent, ex quibus etiam exſiccati interdum concedendi ſunt. Ii, qui eorum praeparatione, cum copioſo ſaccharo facta, palato magis blandiuntur, lenem quidem reſoluendi vim illis conciliant, quoad roborandi tamen virtutem multum detrahunt. Prorſus auſteri et adſtringentes fructus ad medicamenta potius, parte IV. cap. II. recenſenda, quam ad alimenta, pertinent.

§. 1355.

Optimum robur et toti corpori et viſceribus potiſſimum motu conciliatur; attamen a leuioribus exercitiorum generibus ad fortiora ſenſim paulatimque progrediendum eſt. Frictio itaque §. 823. in iis, qui corpus exercere non poſſunt, primum locum obtinet, paulo poſt ad alia exercitiorum genera procedendum eſt, §. 824 ſeqq. quae ſaepius quidem, ſed non niſi ad initium laſſitudinis ſuſcipienda ſunt.

§. 1356.

§. 1356.

Nutrientia vero prius quam roborantia exhibeantur, et haec tandem illis interponantur. Vbi vero augmentum roboris acquiſitum eſt, ibi etiam copioſiorem nutritionem admittere poſſumus. Hoc quidem vera nutritionis ratio, in phyſiologicis declarata §. 254 ſeqq. oſtendit, quae tunc tandem appoſitionem ad minima praeſtat, quando ſucci praeparati adſunt. Cum etiam alimentorum digeſtio in talibus ſubiectis debilis ſit, ideoque in inteſtinorum canale facile aliquid remaneat, haud prorſus ſubactum, non raro accidit, ut lenia purgantia, quae roborandi ſimul vim habent, ut rhabarbarina, illis interdum interponenda ſint, quo ſucceſſiuis tandem mutationibus vigor corporis reſtituatur.

# CAPVT II.
## DE INCITATIONE VIRIVM PER MEDICAMENTA.

§. 1357.

In praecedenti capite lentam, ſed conſtantem magis conſeruationem virium corporis declarauimus, quae per conſenſum omnium fere actionum corporis perficitur; non raro tamen in ipſo morborum progreſſu vis vitae ita remittit, ut motus circulatorii, quibus omnes actiones adiuuantur et perficiuntur, langueant, niſi ſubitaneo aliquo auxilio ſuſtineantur; quo igitur in caſu fluidum nerueum, cuius influxu actiones perficiuntur, per ea medica-

menta, quae ſubtilitate ſua ei analoga ſunt, in motu ſuo adiuuari et excitari debet.

§. 1358.

Obſcura autem fluidi neruei natura §. 315 in ſelectu quoque medicamentorum, quibus eius vires ſuſtineri debent, nos quam maxime dubios relinquit. Forte tamen ex eo, quod in his motibus et ad fluidi indolem, et ad fibras medullares, fluidum continentes, reſpicere debeamus §. 316. 317. alia medicamenta, quae volatilia ſunt, et vires corporis languidi acceſſione quadam, ad fluidum neruceum pertingente, reſtaurant, analeptica; alia vero, quae ſolidas forte fibras irritando, motus viuidiores reddunt, ſtimulantia dici poſſunt. Et licet hanc ipſam diſtinctionem non ſatis definiri poſſe praeuideamus, medicamenta tamen, nunc adducenda, a poſſibili actionis differentia diſtinguere placebit.

## SECTIO I.
## DE ANALEPTICIS.

§. 1359.

Analeptica medicamenta, vires ſubito et aliquo certe modo immediate reſtaurantia, ex omni ferme vegetabilium et animalium halitu ſubtili et grato, facile, et per vias, vix ſatis definiendas, in corpus penetrante petuntur. Haec vel a natura ipſa elaborantur atque coguntur; vel volatilia et ſubtiliſſima corporum principia arte chemica magis adunantur, et noua mixta producuntur, quibus ſubtiliſſimae corporis humani partes grate affici poſſunt.

§. 1360

§. 1360.

Haec vero medicamenta a languido humorum circulantium motu indicantur, et, cum valida quadam vi efficaciam ſuam exſerant, in eo caſu tantum valent, ubi actionum languor a deficientibus ſolidorum viribus, et inſigni pulſus debilitate pendet. Vbi vero viſcidum, pituitoſum et magis inflammatorium, motus vel in uniuerſo corpore, vel in parte, retardati cauſa eſſe deprehenditur, ibi vel nunquam vel parcius applicari poſſunt. Id, quod eo magis attendendum erit, cum non nulla ex his fluida corporis noſtri magis ſpiſſa, et ad coagulum prona reddant.

§. 1361.

Vapor tenuis foliorum, florum et fructuum in quibusdam plantis adeo fragrans eſt, ut corpus languidum ſua vi excitet et reficiat. Iaſmini flores, citri et aurantii flores et cortices ex pluribus exempli loco adducantur. Hic itaque halitus et aegroto corpori applicari poteſt; caueat tamen medicus, ne vel nimis odoratas, quae caput grauant, vel idioſyncraſiae aegroti cuiusdam contrarias et neruis eius adeo inimicas ſeligat plantarum partes v. c. liliorum flores. Experientia quotidiana his explicandis copioſa ſubminiſtrat exempla.

§. 1362.

In non nullis ex his vapor adeo volatilis deprehenditur, ut mox in auras auolet, nec per artem chemicam cogi poſſit; ex aliis vero aquae deſtillatae et olea eſſentialia eliciuntur, quae vel externe applicantur, vel intus ſumuntur et amicam quandam in neruos vim exſerunt. Tanta plantarum, ſale vola-

 tili

tili oleoſo ſcatentium, in materia medica exhibetur copia, ut in aquis et oleis deſtillatis, nec non in balſamis, elaeoſaccharis aliisque medicamentis compoſitis exempla proſtent.

§. 1363.

Fermentatio, quae olea mediante ſale aquae miſcet, et motu ſuo inflammabile reddit aquae miſcibile, ſaepe quidem etiam ex plantarum partibus non odoratis volatile producit, quod tamen in odoratis magis conſpicuum eſt. Spirituoſum ipſum et id quidem concentratum ad ſtimulantia magis pertinet, et vapor tenuis, qui ſub varia forma et mixtione ſpiritum rectorem plantarum ſiſtit, hic tantum in cenſum venit, v. c. ſpiritus roſarum, ſerpilli, cet.

§. 1364.

Si ad fermentationem vinoſam reſpicimus, in cereuiſia quidem nutrientes particulae cerealium ſpirituoſis iunctae ſunt, ita, ut poſt praegreſſam aptam praeparationem hoc potus genus ad cardiaca referri poſſit; magis tamen vina bonae indolis, quae grato ſapore et odore praedita, ſoli et fermentationis bonitate ſe commendant, blandam analepticam vim praeſtant. Vti enim vina generoſiora ſolo odore ſaepius excitant; ſic hauſtus eorundem ſpiritus reficit, et vires magis inſtaurat. Caue tamen, ne ſpirituoſum vini humores nimis commoueat et aeſtum excitet.

§. 1365.

Fermentatio altera, quae acetoſa dicitur, ſuccum acidum producit, acido vegetabili, quod in citri ſucco potiſſimum conſpicitur, maxime analogum,

gum, qui ſpirituoſo quidem ſuo halitu aegrum grate afficit. Vis tamen eius analeptica longe euidentior euadit, ſi cum floribus aliisque plantarum partibus odoratis digeritur. Acida haec in multis morbis, qui aeſtu ſummo vires aegri conficiunt, cum fructu et externe applicantur et interne propinantur.

§. 1366.

Acida mineralia, licet volatilia non ſint, eodem tamen modo, ut vegetabilia, in debilitate, ab aeſtu nimio inducta, adhibentur; ſic ſpiritus ſulphuris per campanam et antimonii clyſſus julapiis adduntur. Mineralia tamen haec acida magis actiua redduntur, ſi digeſtione et cohobatione cum alcohole vini combinantur et, ut chemici dicunt, dulcificantur. Spiritus vitrioli dulcis, qui inter noſtros liquor anodynus mineralis HOFFMANNI appellatur, et ſub aliis ſaepius nominibus venditur, ſpiritus nitri et ſalis dulcis vel per ſe, vel cum oleis plantarum eſſentialibus coniuncti, ſummo iure optimis analepticis medicamentis accenſentur.

Acida mineralia, in ſe conſiderata, ſanguinem non cogunt, licet id in lympha praeſtent. Haec putredini vere reſiſtunt, et ita debilitati, a reſolutis humoribus oriundae, medentur, licet vero coagulum inflammatorium non ſoluant, illud tamen nec augent, et calorem vires infringentem ſemper compeſcunt.

§. 1367.

Et alcalina volatilia, ut ſal alcali ammoniacale, vel ſal volatile cornu cerui vel ſpiritus alcalini volatiles, in refracta doſi exhibita, vel naribus applicata ſpiritus excitant et vires ſuſtinent. Haec vero, maximam partem ex animali regno producta, ſaepius

calorem augent et caput grauant, ideoque ſumma cum cautela exhibenda ſunt. Praeſtat interdum, liquorem cornu cerui ſuccinatum eligere, quippe qui ex ſpiritu vel ſale cornu cerui, alcalinae, et ex ſpiritu vel ſale ſuccini volatili acidae indolis medicamentis, in ſpiritum volatilem medium coaleſcit.

§. 1368.

Cardiacis his medicamentis alia quaedam ſpecifica et ſubtiliſſima particularum indole praedita accedunt: ex vegetabili nimirum regno camphora, benzoinum, ſtyrax, gummi ſaponacea varia, in primis aſſa foetida; ex animali caſtoreum, moſchus et zibethum prae reliquis occurrunt; quibus ex minerali regno ambra et ſuccinum addi poſſent. Haec cuncta vel per ſe, vel aliis medicamentis admixta, analepticam vim exercent, dummodo in applicatione eorundem et ad ſpeciales diſpoſitiones morboſas et ad idioſyncraſiam variorum reſpiciamus.

## SECTIO II.
## DE STIMVLANTIBVS.

§. 1369.

Cum dubium omnino ſit, quouſque medicamenta haec, hactenus recenſita, vel in fluidum nerueum ipſum vel in ſolidam fibram medullarem agant, haec, quae nunc, tanquam analeptica, propoſita fuerunt, certo quoque reſpectu ad ſtimulantia referri poſſunt; addimus tamen, praeter frictionem cum pannis aſperioribus, ſinapiſmos et veſicatoria, quibus vires vitae languentes excitantur. De his autem, ut alio loco accuratius examinandis, nunc non fuſius diſſerimus.

PARS

# PARS III.

## DE INDICATIONE CAVSALI, PRAESERVATORIA SIVE PROPHYLACTICA.

§. 1370.

Conſiliis medicorum et ſani indigent, quippe qui, ubi plurimas actiones homini ſano proprias exercent, ſaepius non tantum occaſionales morborum cauſas, ſed etiam praediſponentes admittunt et ita corpora in morbum prona reddunt. Plurimae quidem ex praediſponentibus morborum cauſis, cum iam initium ſtatus aegroti exhibeant, ad curatoriam indicationem commodius referri poſſunt; non incongruum tamen viſum fuit pauca de his in hac parte generatim exponere.

§. 1371.

Ad quatuor capita vero hanc noſtram tractationem reducimus, in quorum primo medici officium, circa errores diaeteticos corrigendos, conſideramus; in ſecundo cauſas euidentes morborum et mortis, per venena corpori applicata inductas, examinamus, et rationem, qua remoueri queant, indicamus; in tertio plethoram, quae ſpurium ſanitatis augmentum refert, tanquam cauſam morborum corrigimus; in quarto tandem modum docemus, quo corruptionem humorum, cacochymiam dictam, ſenſim paulatimque in corporibus natam et in genere conſideratam, immutare poſſimus.

CAPVT

# CAPVT I.

## DE ERRORIBVS DIAETAE CORRIGENDIS.

§. 1372.

Ampliſſima haec doctrina, in conſideratione ſex rerum non naturalium poſita, tanquam fundamentum ſanitatis conſeruandae in quarta parte phyſiologiae tradita fuit; haec ideo ea fundamenta continet, ex quibus conſilia de ſanitate amiſſa iterum recuperanda eliciuntur, quae iis, qui in morbum procliues vel eo iam correpti ſunt, tradi poſſunt. Ne vero hac in re taedioſa et ampla repetitione moleſti ſimus, generalia tantum monita de diaetae erroribus corrigendis adducimus.

§. 1373.

Medicus in diaetae erroribus, quos ſani homines committunt, corrigendis non moroſus ſit cenſor, ſed opportuno tempore conſilia ſua ita exponat, ut illi de iisdem conuicti lubenter flectantur, et noxas, a neglectu oriundas, perſpiciant et euitent. Nec uniuerſales eſſe regulas diaeteticas arbitretur, ſed erroribus, quae in conſuetudinem abierunt, non nihil concedat, quo eos, niſi euidenter noceant, ſenſim diſſuadeat, imminens vero ex iis ſanitatis periculum, quantum ex auctoritate ſua pendet, auertat.

§. 1374.

Commiſſos olim diaetae errores in aegrotis in primis, qui graui morbo decumbunt, ideoque in vitae diſcrimen deducti ſunt, medicus non acrius per-

perſtringat, ne timidos vel deſperatos eosdem reddat; morbo autem ſuperato, vel certe imminuto, grauitatem errorum olim commiſſorum iis ante oculos ponat, et diaetae accuratioris obſeruationem iis ſuadeat, ne nouis cauſis admiſſis aut morbus iterum increſcat, aut diſſipatus denuo excitetur. Maxime tamen attendat ad animi propenſiones in variis hominibus, quo argumentis, ad eas accommodatis, vel ſuadendo, vel imperando finem ſuum attingat.

§. 1375.

Nullius aegri curam ſuſcipiat medicus, niſi vitae ante actae conditiones, quantum quidem reſcire poteſt, accurate diſquiſiuerit: In primis vero in amicis, qui ipſi ſanitatis tutelam committunt, vitae genus et omnia, quae ad victum et animi pathemata ſpectant, probe notet, quo conſilia in morbis exinde petere queat. Opprobrio eſt medicis, ſi conniuendo, vel errores diaetae approbando, amicitiam eorum, qui genio indulgent, captant, et ita in grauiſſimos morbos ſe praecipites reddunt.

§. 1376.

In ipſo morborum decurſu perueſtigatio quidem errorum diaetae non amplius neceſſaria eſſe videtur, ea tamen non negligi, ſed eo modo attendi debet, quo accuratior diaetae obſeruatio inter remedia, morbo diſſipando apta, referri meretur; quo in caſu regula generalis valet: diaetam ſtrictiorem omnibus imperandam, eandem tamen genio morbi et ſymptomatibus praecipuis accommodandam eſſe. Cum vero diaeta aegrorum in morbis ſpecialioribus demum ordinanda ſit, generalia tantum, a medico

ad

ad aegrotos accedente, attendenda momenta hic loci indicabimus.

§. 1377.

Morbi, a vitiato aere oriundi, praecipue exigunt, ut vel aer nociuus mutetur vel aegrotus ea loca petat, in quibus ille purior deprehenditur. Hinc ventilatio et renouatio aeris in cubiculis aegrotorum ſaepius requiritur, et corpora, ingrato et putrido halitu nocentia, omni cura remoueantur. Correctio aeris per vapores medicatos non quidem intermittenda eſt, hi tamen indolem eiusdem peruerſam plenarie nunquam emendabunt.

§. 1378.

Caloris et frigoris gradus circa aegrum ita moderandi ſunt, ut iuſta aeris temperies obſeruetur, niſi paulo maius unius vel alterius incrementum ad curationem morbi requiratur. Vti itaque praecipue cubiculorum diſpoſitio ad has leges ordinanda eſt, ſic ſtragula quoque hunc in finem examinari et ita collocari debent, ne aeger inde detrimentum capiat.

§. 1379.

His praemiſſis, de victu aegroti ſollicitus ſit medicus, et primo quidem, ex legibus indicationis vitalis §. 1346. ſeqq. nutrimentum quidem aegro propinandum eſſe ſciat, eius tamen ſelectum, num animalis an vegetabilis victus, et quae variae, hinc depromptae, alimentorum ſpecies ipſi dari debeant, quatenus nimirum curationi morbi inſeruiant, ex ipſa huius natura deiudicet; deinde eius copiam ex organorum digeſtionis integritate et neceſſitate humorum ingerendorum definiat.

§. 1380.

## §. 1380.

Cum itaque abſtinentia a cibo non omnibus aegris conueniat, ordo aſſumendorum, ſtudioſe ſelectorum, ex indole et temporibus morbi dirigatur. Ante paroxyſmum eius vel in eodem alimenta non concedenda ſunt, quoniam vires morbi intendunt et coctionem materiae morboſae impediunt; poſt paroxyſmum vero ſuperatum aeger victu reficiendus eſt, quo vires ſequenti impetui morbi ſuſtinendo pares colligat.

## §. 1381.

Potus aegrotorum, ſi in genere eum conſideraueris, ſit aqua ſimplex bonae notae; haec enim diluit et acrimonias, in humoribus natas, ſoluit, easque per varia corporis colatoria expellit. Potum fermentatum ſpirituoſum aut vitalis indicatio §. 1364 aut curatoria interdum exigunt. Aquoſi potus copiam ſitis quidem vehementia omnium optime definire poteſt; non nimia tamen copia, ſed crebris, at moderatis hauſtibus, fluida aſſumenda eſſe, ipſa virium ventriculi conſeruatio ſuadet. Potus frigidiuſculus ſemper plus diluit; calidum interdum ſpeciales indicationes urgent.

## §. 1382.

Animi affectuum moderamen, ſi unquam, in morbis praecipue neceſſarium eſt. Grati enim et ingrati, ſi vehementes ſunt, vires vitae, nimium intendendo, eneruant, et eosdem in morbis cooperantes infringunt; medicus itaque conſilio ſuo, in primis timorem et iracundiam coerceat, ſpem et fiduciam vero augeat, omniaque ab aegro remoue-

re

re tentet, quae eruditas, laborioſas et inimicas meditationes excitant et fouent.

§. 1383.

Haec primaria ſunt, quae medicus circa aegrotum, ratione diaetae in genere definienda, ſibi ſumit; reliqua enim huius doctrinae capita ſimili modo ad aegri conditionem perſpicit, et dirigit, et adſtantes et aegros de erroribus euitandis monet. Licet etiam plane nobis perſuaſum habeamus, attentionem ad diaetae regulas in medendô plus valere, quam copioſa medicamenta; alias tamen vix praeſcribere poſſumus regulas, quam quas in ſex rerum non naturalium diſquiſitiône ſuo loco expoſuimus.

# CAPVT II.
## DE VENENORVM EFFICACIA INFRINGENDA.

§. 1384.

Venena ſunt corpora naturalia, quae corpori animali, in primis humano, applicata eius deſtructionem et mortem efficiunt. Naturalium corporum partes ideo tantum venenatas diximus, quia et in arte factis venenis particulae minimae, quatenus earum effectus ex naturali mixtione dependet, conſiderantur. Vim breui lethalem, quam pleraque venena exſerunt, non omnibus adſcribere poſſumus, cum et lenta inueniantur venena. Tandem monemus ea, quae caſu fortuito effectum lethalem edunt, ſtricte loquendo, venena dici non poſſe, cum ea potius,

potius, quae ex natura ſua et mixtione, ſi non ſemper, ſaepiſſime tamen homines interficiunt, hoc titulo iure inſigniuntur.

Quamuis ſat amplae ſint limitationes, quibus definitio venenorum ab auctoribus circumſcribi ſolet, vix tamen ad eandem, omni tempore et loco determinandam, ſufficiunt; doſis v. c. et indiuidui, ab aliquo veneno laeſi, conditio ſimul in cenſum veniunt, quae cuncta in medicina forenſi potiſſimum attendenda ſunt.

§. 1385.

Licet varia venena in materia medica ſparſim recenſeantur, claſſes tamen eorundem denuo delineare conuenit, quo effectus quodam modo indicare, et indicationes, ad eos tollendos et infringendos, poſt ea addere poſſimus. Optimum quidem eſſet, ſi ex natura particularum et indole actionis cuiuscunque veneni has ipſas claſſes conſtituere poſſemus, cum vero negotium hoc apte abſolui vix poſſit et particulae mixti nunquam pateant, ad trium naturae regnorum diſtributionem illas ordinabimus.

§. 1386.

Ex regno minerali rigidae et acutae quorundam corporum particulae, neruos pungendo et vaſcula dilacerando, ſenſilem primarum viarum fabricam laedunt, et ſpaſmos, haemorrhagias, inflammationes atque gangraenam excitant. Vitri contuſi, nec ſubtiliſſime triti, particulae ſcindentes, et ſolida dilacerantes facile declarant, quo modo adamas et alii lapides pretioſi, cryſtallus montana, alumen plumoſum et alia varia mineralia corpora, ab humoribus in primis viis affluentibus vix ſoluenda, venenatam vim exſerant.

§. 1387.

Acida mineralia concentrata, vitriolicum nempe, nitroſum et ſalis communis, et per ſe, et quando, ut menſtrua, metallicas particulas ſolutas continent, primas vias vehementer laedunt, nauſeas, vomitus, eroſiones, inflammationes, choleras et dyſenterias cum multis torminibus producunt, et ſpaſmo vehementi excitato tandem homines e viuis tollunt. Huc quoque calces metallorum recentes, ignis vi exuſtae, referri poſſunt; et cupri calx ſiue viride aeris, licet cum acido aceti fiat, ob cupri particulas ſolutas ſimiles ferme gignit effectus.

§. 1388.

In his quidem mechanica vis laedens magis conſpicua eſt; ſpecifica tamen, et ex particularum figura vix declaranda, arſenico, quod, prunis iniectum, vapore alliaceo ſe prodit, ineſt. Cobaltum et variae eius minerae arſenicum album cryſtallinum praebent, quod mitius redditur, ſi ſulphure addito in citrinum et rubrum mutatur. Praeter effectus, nunc recenſitos, haec cuncta, vel in vaporibus neruis adeo inimica ſunt, vertigines, conuulſiones et paralyſes excitant, corporaque, quae violento impetu non deſtruunt, lente conficiunt.

§. 1389.

Arſenicalibus hiſce vaporibus alii ſimiles et halitu forte peiores ſunt, qui non tantum aerem ita inquinant, ut a pulmonibus aegre ſuſcipiatur et ſuffocans ſit, ſed neruos quoque peſſime afficiendo, ſpaſticas laryngis ſtricturas inducunt, immo et toti ſyſtemati neruoſo peculiari ratione inimici ſunt, hominemque ſuffocare valent, ut: ſulphuris accenſi

vapor,

vapor, aer ſubterraneus, diu incluſus, et qui his quodam modo analogi ſunt, alcalini volatiles et putridi vapores ex cloacis, carbonum, muſti vel cereuiſiae fermentantis halitus, in aliquo loco clauſi.

§. 1390.

Subtiliſſimae et volatiles terreae particulae, quae in lapidicinis et metalli fodinis diſſipantur et ab iis, qui calcem gypſumque tractant et terras varias v. c. tripelas, ad polienda marmora, lapides pretioſos, vitra et metallica vaſa adhibent, vel pulmonibus hauriuntur, vel ſuperficiei corporis applicantur, tumque veneni vires ſuſcipiunt. Licet enim perſpirationem impediendo non euidenter noceant, a pulmonibus tamen recepti, ſcirrhos et tophos in iis efficiunt et lentam corporis maciem inducunt.

§. 1391.

Effectus hi in plumbo magis euidentes ſunt. Huius enim, triti vel liquefacti et praecipue acidis ſoluti, vapor capiti et neruis infeſtus eſt. Illud ipſum quoque et quaelibet eius calx, in minio, lithargyrio et ceruſſa conſpicua, intus aſſumta praeſtat, et lentos quidem, ſed miſerrimos morbos producit. Et forte etiam unguenta, emplaſtra et alia medicamenta, cum his calcibus parata, laeſae cuti diu applicata, ſimilia damna inducunt.

§. 1392.

In internis vero corporis ſedibus longe grauiora mala extimeſcenda ſunt. In primis enim viis colicae, flatus et aluus ſtricta, nec non tumores glandularum meſaraicarum; in pulmonibus obſtructio, ſcirrhus et aſthma; in lymphaticorum vaſorum ſy-

ſtemate atrophia; in neruis ſtupor, paralyſis et contracturae inde oriuntur, quae mala cuncta incraſſatis humoribus, obſtructis vaſis minimis et exſiccatis ſolidis lenta tandem mors ſequitur.

§. 1393.

Ad venena vegetabilia dum accedimus, omnia quidem draſtica purgantia et vomitoria, ſi in doſi nimis larga, vel in debilibus ſubiectis, vel non apto tempore adhibentur, eo titulo inſignienda ſunt. Hinc lacte acri turgentes plantae v. c. euphorbiae ſpecies, eorum ſucci inſpiſſati in primis viis nauſeas, hypercatharſes, ſpaſmos et inflammationes producunt. His omnino analogae ſunt aconiti ſiue napelli, apocyni, clematitidis, thymeleae et ranunculi ſpecies, aliaeque plantae, quae maſticatae in ore et faucibus ardorem et ſubitam inflammationem excitant.

§. 1394.

Acrimonia inflammante non quidem deſtituuntur, magis tamen viſcido adhaerente nociuae ſunt, narcoticae et ſtupefactiuae plantae, quae cerebrum et neruos ſingulari quadam vi petunt, et praeter nauſeas et vomitus, vertigines, deliria, furores, ſpaſmos, apoplecticos et paralyticos inſultus inducunt. Nominari hic prae reliquis merentur cicutae ſpecies et umbelliferae plantae ſimiles, ſolanorum familia et congeneres quaedam plantae, nec non datura et hyoſcyamus, immo ipſum opium, anodyna quidem vi praeditum, inconſiderate tamen datum, narcoticas et venenatas vires exſerit.

§. 1395.

§. 1395.

Dantur et aliae plantae inter noſtras, magis tamen calidioribus climatibus indigenae, vim venenatam continentes, quas tamen, cum ſpecifica quadam et per hactenus dicta vix ſatis explicanda vi praeditae ſint, ad hiſtoriam venenorum ſpecialiſſimam remittimus, v. c. anemone, corona imperialis, hyacinthus, fungi venenati, anacardium, nerium, tagetes, cet: Notandum tamen in genere eſt, operationes venenorum, in primis vegetabilium, pro differentia animalium, a quibus aſſumuntur, inſigniter variare.

§. 1396.

Alcalina ſalia, ex plantis per incinerationem prolecta, vel per ſe, vel cum calce viua calcinata et inde acriora reddita, inconſideratius data, grauibus inflammationibus, gangraenae et ſphacelo occaſionem dare poterunt. In his quidem, medicata vi alias inſignibus, recens calcinatio et igneum quaſi adhaerens principium, violentos iſtos effectus inducit. Simili ratione calx, ex lapidibus calcareis, oſtreis, teſtis ouorum, oſſibusque animalium praeparata, ad venena referri poteſt.

§. 1397.

Animalium partes putrefactas nauſeam et vomitus creare, ex ouis corruptis cognoſcimus, veram tamen in his venenatam vim deprehendi, vix dicere poſſumus. Dantur autem animalia, quae, cuti applicata, inflammationem eius efficiunt, ut canthari des, urtica marina, cet., quae ideo, ſi deglutita fuerint, non in primis viis ſolum, ſed et in remotioribus corporis partibus graues turbas excitant.

 Culices

Culices aliaque inſecta proboſcide vel aculeo laeſionem, inflammatione ſtipatam, inferunt, maior tamen vis eſt in araneis, tarantula in primis, ſcorpione, vipera aliisque ſerpentum ſpeciebus, quae tamen nociua animalia non, niſi irritata, hominem aliaque animalia laedunt, ſi nimirum acrem liquorem, ſiue ſaliuam, digeſtioni neceſſariam, vulneri inflicto immittunt.

## §. 1398.

Ex his viperae venenum exempli loco adducatur. Hoc quidem deleterium eſt; non tamen, niſi in vulnere nocet, et ſine noxa deglutitur, praeter inflammationem, plus minusque inſignem tumorem et ſtuporem in laeſa parte inducit, maxime vero toti corpori intra breue temporis ſpatium communicatur, torporem, ſtuporem, mentis alienationem, conuulſiones et deliria excitat, citiſſimamque mortem arceſſit. Ab iracundia et rabie ſaliuam cuiuscunque animalis venenatam reddi, canis rabidus et alia animalia, ſimili labe infecta, teſtantur; hinc hydrophobia et horrenda eius ſymptomata.

## §. 1399.

Perluſtratis itaque variis venenorum claſſibus, antidota ſiue oppoſita venenis remedia breuiter indicanda ſunt. Indicationes autem eo redeunt, ut venena a corpore humano remoueantur, vel corpus contra eorundem vehementiam muniatur, vel venena iam applicata per varias vias expellantur, venenum ipſum denique per contraria remedia corrigatur et immutetur, tandem ſymptomata, quae oriuntur, ſuo modo mitigentur.

Fuſius

Fuſius paulo hanc ipſam venenorum et antidotorum tractationem ſuſcipimus, quoniam in doctrina de praxi ſpeciali, parum ad eandem attendi utplurimum ſolet, licet in praxi clinica et forenſi maximi uſus ſit.

## §. 1400.

Venena cognita quilibet homo ſanae mentis auerſatur, ſerpentes fugit, plantis venenatis non veſcitur et corpora, nociua vi praedita, quantum fieri poteſt, a ſe remouet. Halitus venenati tamen nonnunquam in aere, quo carere non poſſumus, diſperſi ſunt; hos quidem vel vento artificiali diſſipamus, vel corpora, ex quibus exhalant, viuis flammis comburimus, vel vaporibus contrariis venenatos corrigimus, vel atmoſphaeram, eius modi particulis inquinatam, in alia et diſſita loca tranſeuntes fugimus.

## §. 1401.

Corpus contra venena vaporoſa muniatur, conſeruata perſpiratione blanda et aequali, reſpiratione moderata, nullo modo intenſa; ſaliua quoque, ad contagium aereum ſuſcipiendum apta, crebrius exſpuatur, minime vero deglutiatur. Oleoſa, aquoſa, ſaponacea, mellita, emollientia et lubricantia, copioſius in ventriculum ingeſta, non tantum vim ſuſcipiendi veneni, ſed et eius actionem in corporis ſolida infringunt, ideoque forte oleum et aqua antidota generalia dici poſſunt.

## §. 1402.

Venenum quodlibet, corpori ingeſtum, vel applicatum, ante quam ſoluatur, et ita humoribus communicetur et in ſolida agat, ſi fieri poterit, expellen-

pellendum eſt. Si itaque in ventriculo haeret, vomitorio blando, oleoſo, nauſeoſo, non acriter ſtimulante; ſi in inteſtina progreſſum eſt, purgante leni lubricante vel antiphlogiſtico, ſed ſatis tamen valente vel clyſmate emolliente reiterato; ſi in vias ſecundas penetrauit, diaphoretico regimine, ſuperadditis theriacalibus, ex calidioribus aromaticis, opio iunctis; ſi in cute haeret, ſugendo, pſyllorum more, dum modo ſugentis lingua et os absque labe ſint, vel ſcarificando, cucurbitulis additis cum multa flamma, applicato interdum cauſtico, vel fortiori ligatura, ſupra locum laeſum applicata, exhibitis ſimul diaphoreticis remediis iterum expellitur.

§. 1403.

Primaria indicatio, quae correctionem veneni exigit, omnium difficillima eſt; praeter id enim, quod venenorum natura et indoles ex mixtione partium raro vel nunquam perſpiciatur, ideoque remedia exacte contraria inueniri nequeant, actio venenorum vehemens, non, niſi antidotis vehementioribus, compeſcitur, quae, dum in venenum agunt, corporis partes, quibus applicantur, grauius quoque afficiunt et non raro deſtruunt. Quaedam tamen per experientiam cognita hic recenſere conuenit.

§. 1404.

In genere quidem aqua et olea expreſſa, blanda, mucilaginoſa, dulcia, acrimoniae omnium venenorum opponuntur, §. 1401. quae calida et copioſa per os ingeruntur, per anum iniiciuntur et ſuperficiei corporis, ſub ſpecie vaporis, epithematis et balnei, applicantur, quo omne acre obtundatur, eluatur et fibra ad ſpaſmum ſuſcipiendum quaſi

inepta

inepta reddatur. Conuenit quoque aquam oxymelle, vel ſapone, vel farinaceis, vel bolaribus et margaceis terris additis, ita medicatam reddere, ut abſtergendi et acria inuoluendi vi magis polleat. Haec cuncta in eo potiſſimum caſu ſumme neceſſaria ſunt, ubi venenum acceptum fuiſſe vel ſuſpicamur, vel certo ſcimus, licet indolem eius plane ignoremus.

§. 1405.

Et haec ipſa antidota tunc potiſſimum valent, quando acria ſubito inflammantia §. 1386 ad 1388. et §. 1393 ad 1396. venena aſſumta vel applicata fuerunt; non ſolum enim vomitum, a veneni ſtimulo oriundum, iuuant et faciliorem reddunt, ſed primas vias quoque contra vehementiam eius muniunt et ſpaſmos mitigant. Aqua tepida, melle et ſacharo dulciſſima reddita, iuſcula pinguia, farinacea, olea preſſa, lac, eius ſerum, butyrum, primum ingerenda, his vero lenia laxantia antiphlogiſtica ex tamarindorum et caſſiae pulpa cet. addenda ſunt.

§. 1406.

Venena acria, vegetabilia, viſcoſa §. 1394 ſimilibus quoque mitigantur remediis, in his tamen larga oxymellis copia, nec non gummi ſaponacea, in eodem ſoluta, ut reſoluentia viſcidi et lenia neruina iungenda ſunt. Cum vero vires huius veneni et intima corporis penetrent vaſa, diaphoretica calidiora, ad ſudorem largum proliciendum, illis addantur et uſu diutius continuentur. Frictiones interpoſitae et cardiaca, analeptica nec non diaeta accuratior, ſi aeger vehementiam veneni ſuperauerit, vires iterum inſtaurant.

§. 1407.

Acida mineralia et ſolutiones metallorum, his menſtruis factae §. 1387, largum aquae ſaponatae uſum exigunt. Licet enim alcalina ſalia acidis inuertendis magis apta videantur, tamen, cum haec motus vehementes efferueſcentiae, inteſtina laedentes, efficiant, parcius omnino admiſcenda et oleoſis blandis iterum mitiganda ſunt. Alcalina vero §. 1396. et aqua copioſa diluuntur et acidis parcius additis ſemper compeſcuntur. Halitus acidos, vapores alcalini volatiles, alcalinos vero vapor aceti, vel alius acidi corrigit et temperat.

§. 1408.

Lenta venena, ex plumbo ſimilibusque parata §. 1390. 1391. interdum vomitoriorum, ſemper vero purgantium leniorum, uſum eumque continuatum requirunt. Corpus foueatur balneis emollientibus cum lacte et ſapone leniterque fricetur. Saponacea cum oxymelle, immo acida alia leniora diuturno uſu proficua ſunt. Vti vero haec ipſa venena lentius operantur, ſic etiam diuturnus antidotorum uſus requiritur, quibus victus mollis et diaeta lactea cum fructu adduntur.

§. 1409.

Viperae, ſcorpionis, ſimiliumque et rabidorum in primis animalium venenum, in vulnere applicatum §. 1397. 1398. cum noſtris temporibus ſugendo non educatur, protinus ligaturam paulo adſtrictiorem ſupra laeſam membri partem et ſcarifationem ipſius inflicti vulneris, altioribus plagis adhuc concidendi, poſtulat; quod dein irritantibus et emollientibus ad largam et diu ſuſtinendam ſuppuratio-

nem diſponendum eſt. Vel etiam vulnus, candente applicato ferro, aduri, tumque pus moueri debet. Largus etiam diaphoreticorum ipſorum quoque alcalinorum volatilium uſus conueniens iudicatur, quo ſudore continuo venenum, ad peripheriam corporis ductum, eliminetur. Oleum oliuarum et externe applicatum, et interne exhibitum, ut ſpecificum, multis experimentis et obſeruationibus comprobatum, habetur.

§. 1410.

Symptomata venenorum vehementiſſima ſunt, inflammatio et ſpaſmus. Licet itaque de veneno irritante ante omnia remouendo ſolliciti eſſe debeamus, venae ſectio tamen larga in plethoricis negligenda non eſt. Spaſmo vero opium medetur, quod ideo inter antidota generalia relatum fuit, quoniam tenſiones neruorum relaxat, et copioſam diaphoreſin excitat; quo in caſu theriaca et ſimilia medicamenta antidotorum quoque nomen merentur.

§. 1411.

Tanta eſt corporum, venenata vi praeditorum, copia, ut ea, quae hactenus de iis diximus, ut generalius tantum propoſita aſſumi debeant. Melius omnino foret, rerum harum cognitionem ſupprimere, quam experimentis inſtitutis perficere, licet medici hos vitae humanae hoſtes nunquam ſatis diſquirere poſſint. Obſeruationes tamen medicorum caute colligendae ſunt, ne malitioſi homines id in detrimentum generis humani conuertant, quod medici in conſeruationem eiusdem examinare ſolent. Cognitorum venenorum phaenomena et antidota maxima cum cura conſignanda et indaganda ſunt.

CAPVT

# CAPVT III.

## DE PLETHORA IMMINVENDA.

§. 1412.

Cum ſanguinis abundantia, ex leuioribus ſemper initiis magis magisque increſcat, in principio illa, ut cauſa morbi, in progreſſu, ut morbus ipſe, conſiderari meretur. Nos, qui de plethora vera §. 936. 1053 praecipue loquimur, venaeſectionem, ut remedium plethorae optimum, exponimus, haec enim ſuperfluam quantitatem ſanguinis ſubducendo intra breue temporis ſpatium ſolidorum facilem contractionem, et ita aequilibrium inter ſolida et fluida reſtituit, quo facto et ſecretiones et reliquae humorum corporis elaborationes ex voto ſuccedunt.

§. 1413.

In plethora obeſa §. 937. 1054. venaeſectio non adeo promptum quidem exhibet auxilium: ea tamen ſaepius ideo improbanda non eſt, quoniam ſolidorum robur in vaſis maioribus reſtituit et inde circulationem humorum faciliorem reddit, quo facto ſecretionibus facilius praeſtitis, abundantia etiam reliquorum humorum imminuitur. In plethora à debilitate §. 937. 1055. venae ſectio ſaepe magis nocet, quam prodeſt, quoniam nutrientis ſucci copia ex ſanguine depromenda et minimis fibris applicanda eſt. Interdum tamen et debilia vaſa deplenda ſunt, quo eo facilius ſuum robur recuperent, ſanguinemque aequabilius diſtribuant, in primis, ſi impetus humorum ex variis cauſis incitatus, haemorrhagiis nimiis anſam praebet.

§. 1414.

§. 1414.

Licet venaeſectionis neceſſitas in plethoricis per ſua ſigna innoteſcat §. 1187. ſeqq. et nimium quidem aucta ſanguinis et humorum copia, hanc euacuationem omni tempore ſuſcipiendam indicet, hinc per conſuetudinem definitum tempus ſtatui non debeat; vernale tamen tempus prophylacticae venaeſectioni potiſſimum fauet. Perſpiratio enim corporis, durante hieme per frigus et humiditatem ſuppreſſa, collectioni ſanguinis dedit occaſionem, nunc autem vernali tempore aucta, circulo ſanguinis liberiori reddito, eo melius ſuccedit, cunctasque humorum elaborationes iuuat.

§. 1415.

Victus iurulentus, ex carnibus ſuccoſis paratus, plethoricis, in primis obeſis, ſemper et largiore copia concedendus non eſt, cum ſanguinis motum nimium augeat; hinc in omni plethora victus vegetabilis magis conuenit; notandum tamen eſt, cerealia ſemina et ex his praeparata plus nutrimenti exhibere, quam fructus horaeos, qui ſimul blanda nutriente et refrigerante vi pollent. Stimulus ex condimentis quoque parcior ſit, ne copia ciborum nimia appetatur.

§. 1416.

Victus enim parcior omnibus plethoricis conuenit, et plethoricis veris potiſſimum ſuadendus eſt, quippe qui ex parca alimenti copia ſufficientem quidem, ſed haud nimium ſanguinem per bona digeſtionis organa conficere debent. Ieiunia, per longum tempus tolerata, nunquam, moderata vero interdum utilia ſunt, ubi nimirum victus vegetabilis parcus cum aqua ſimplici per certa interualla exhibetur,

betur, et hauſtus vini roborantis ſimul conceditur. Ieiunia eorum, qui victu iurulento relicto, iſto potius viſcido ex piſcibus et farinaceis non fermentatis cum oleo coctis utuntur, minus ſalutaria ſunt. Licet enim plethoram imminuere videantur, cacochymiam tamen augent, cui in primis obeſi et debiliores plethorici quam maxime obnoxii ſunt.

§. 1417.

Sanguis in veris plethoricis denſior, in obeſis viſcidior eſt, in utroque igitur caſu potus aquoſus quam maxime conuenit, licet ventriculus in his ſpirituoſi potus ſtimulo raro carere poſſit. Ptiſanae, leniter reſoluentes, optimae ſunt, vel aquae bonae notae, pro potu ordinario hauſtae, interdum tamen parum optimi vini vel cereuiſiae interponatur. In plethora a debilitate idem valet: ſpirituoſus enim potus ſanguinem, ad phlogoſes pronum, magis exagitat, parce tamen aſſumtus, fibris aliquale robur addit. Aqua in his ſanguinem ſaepe nimium diluit, vel ad minimum eidem non rite admiſcetur. Serum lactis vel acidum vel dulce et lac ebutyratum plethoricis magis prodeſt, quam nocet.

§. 1418.

Exercitio corporis circulatio intenditur, ſanguis elaboratur, et ſuperflui humores per excretiones auctas expelluntur; niſi itaque plethora iam nimium aucta ſit, eadem exercitio corporis diſſipatur. In obeſis motus corporis difficile quidem perficitur, attamen neceſſarius eſt. Frictio, quae plethoricos a debilitate inſigniter iuuat, in obeſis vix ſufficiens eſſe videtur plethorae imminuendae auxilium. Vita ſedentaria et animi tranquillitas, plethoram in primis

mis obeſam augent. Vehementes animi affectus plethoricis veris et iis, qui a debilitate tales ſunt, inſigniter nocent. Moderatus labor et animi et corporis tunc demum iuuat, quando aptus victus admittitur.

§. 1419.

Quae ſecretiones corporis ſeroſas augent, ea ſemper aliquid de ſanguinis et humorum maſſa detrahunt. Sudor, per corporis motus et medicamenta excitatus, plethoricos obeſos magis iuuat, quam alios, omnis tamen, ſi nimius eſt, et fluidiſſimam ſauguinis partem ſubducit, ad cacochymiam et morbos, ab obſtructis minimis vaſculis oriundos, diſponit. Purgationem alui, in primis per draſtica ſuſceptam, obeſi interdum quidem ferunt, his tamen acida antiphlogiſtica medicamenta laxantia ex tamarindis, manna et rhabarbaro, et haec, cum lenia ſint, etiam repetitis vicibus exhibita, magis conueniunt. Haec et ſimilia etiam plethoricis veris et debilibus concedi poſſunt.

# CAPVT IV.

## DE CACOCHYMIA CORRIGENDA.

§. 1420.

Cacochymia, in deprauata humorum mixtione conſiſtens et praecipue per varias acrimonias definita, ad curatoriam indicationem omnino pertinet; de diſpoſitione tamen ad eam generali ideo nunc loquimur, quoniam et ſani adhuc viſi ſaepius

de

de ſanguinis acrimonia conqueruntur, et eius depurationem a medico exigunt, quae aptis remediis et curationibus, ſic dictis vernalibus et autumnalibus, praeſtari ſolet. In his nihil quidem certi eſt, niſi quatenus id ex deprauata ipſa humorum indole pateſcit: generalia tamen ad ſequentia potiſſimum reduci poſſunt momenta.

§. 1421.

Si quis actionibus, ſano homini competentibus, maximam partem ſubeundis quidem par eſt; attamen et in facie, in primis palpebrarum et labiorum colore, et in maculis variis cutaneis oſtendit ſanguinem et lympham, peregrinis et male mixtis particulis ſcatere, tunc omnis diaetae ratio examinanda eſt, quo errores commiſſi inueſtigentur, euitentur, et praeter ea generalis haec humorum deprauatio diluentibus ita diſponatur, ut peregrinae et noxiae particulae per varia corporis colatoria commode ſubduci queant.

§. 1422.

Primarium quidem caput, de diaetae erroribus diſquirendis et euitandis, ad modum difficile eſt, dum in varia diaeta, quam pro noſtra viuendi ratione eligimus, vel eligere cogimur, in primis circa victus rationem, vix omnes cauſas ſatis inueſtigare queamus; niſi tamen ex hoc fonte medicus amicorum ſuorum ſanitati proſpiciat, deprauatio humorum vix unquam tolli poterit, ſed leuiſſima initia ita per annos increſcent, ut tandem acuti morbi, ſi inſtant, aegrius tollantur, aut peſſima mala chronica generentur. Cum itaque vera haec ſit, cauſas morborum, in humoribus nidulantium, tollendi ratio, a medicis ea negligenda non eſt.

§. 1423.

§. 1423.

Humores noſtri diluentibus optime corriguntur, praeſertim, ſi blanda reſoluentia admiſcentur. Hinc non incongruum eſt, vernali potiſſimum tempore, ubi humorum circulatio et blanda perſpiratio aëre puriore adiuuatur, ptiſanas leniter reſoluentes et acrimoniam demulcentes ex ſcorzonerae, chinae, foeniculi ſimilibusque radicibus ſuadere, vel plantarum reſoluentium, taraxaci, cichorii, bellidis, beccabungae et ſimilium ſuccos cum ſero lactis propinare et haec ſub moderato corporis exercitio per aliquod tempus continuare, tandem et viribus aegri proportionata laxantia interponere, quo viae ſecretoriae ad diſſipandam acrimoniam quamcunque diſponantur.

§. 1424.

Aqua pura, frigidiuſcula, humores ſpiſſos et acres quodam modo quidem diluit, copioſius tamen hauſta acrimoniam vix tollit, §. 786. ut non nulli arbitrantur, qui medicinam hanc ut uniuerſalem commendant. Infuſa plantarum, leniter amaricantium, oreoſelini, ſcordii, veronicae et ſimilium non quidem diſſuadenda ſunt, caueas tamen, ne calidi potus incommoda inducas §. 784. Sudoribus, per calidiora medicamenta motis, ſucci plena corpora interdum ſubleuantur, exſucca maxime laeduntur. In genere quoque notandum eſt, cum particulis acribus et corpori moleſtis multas etiam laudabiles diſſipari.

§. 1425.

Aluus libera ſemper ſeruetur, quo acres etiam atque malignae ſanguinis et humorum particulae per

uniuerſalem hanc corporis cloacam deriuentur; §. 861. et licet non ſemper conſultum ſit, aluum ſtimulantibus medicamentis ſollicitare, incongruum tamen non eſt, lenioribus laxantibus et cuilibet homini conuenientibus, §. 864. vernali potiſſimum tempore uti, quo et haec corporis excretio blande iuuetur. Validiora et ſaepius repetita laxantia tamen ſemper nocent, et cum humores nimium ad primas vias alliciant, earumque tonum debilitent, vera remedia prophylactica non ſunt.

PARS

# PARS IV.

## DE INDICATIONE THERAPEVTICA SIVE CVRATORIA.

§. 1426.

Ad veram vel certe ſpecialiorem therapiam nunc accedimus, dum vitia in ſolidis et fluidis, vel potius in his coniunctis, orta corrigere ſuſcipimus; in corpore enim compoſito, cuius vita in actionibus reciprocis ſolidorum et fluidorum conſiſtit, ſemper haec coniunctim conſideranda ſunt. Non tamen poſſumus docendi muneri ſatisfacere, quin correctionem ſolidorum et fluidorum ſeparatim exponamus, et ita nos ad morbos compoſitos curandos accingamus.

§. 1427.

Eum vero ordinem eligimus, ut primo rationem ſolidorum et poſtea fluidorum vitiis medendi exponamus, deinde morbos quosdam generales compoſitos, in motu humorum peruerſo, et obſtructione vaſorum et viſcerum poſitos, removere tentemus. Cum vero in his, corpori aegroto inducendis, mutationibus non progredi poſſimus, niſi vel ſaburra ex primis viis, vel ſerum vel ſanguis abundans ex viis ſecundis euacuentur, tandem harum euacuationum indicationes ſubiungere et ita cuncta ad praxin ſpecialem diſponere debemus.

# CAPVT I.

## DE RIGIDITATE SOLIDORVM CORRIGENDA.

### §. 1428.

Solidorum rigiditatem §. 952. ex ſuis ſignis cognitam §. 1201. vel in fibris vel in vaſis et in viſceribus inde compoſitis deprehendendam, in genere quidem ſtrictior corporis habitus et fluida parca, denſa denotant; hinc cholerici, magis tamen melancholici, ſenes, et a morbis grauioribus, in primis ſpaſticis conualeſcentes, hoc ſolidorum vitio laborare ſolent. Cum vero praeterea contractio quaedam, a neruis pendens, in ſpaſmo §. 956. et 1203. conſiderata fuerit, illa, vel quod cum rigiditate in curatione ſaepius conuenit, vel praeter ſpecifica pauca nihil ſpecialius adduci poſſit, in hoc capite ſimul conſideranda erit.

### §. 1429.

Cum in rigido fibrarum corporis ſtatu eo quidem reſpiciendum ſit, ut cohaerendi niſus particularum, fibras componentium, imminuatur; id tamen in machina corporis compoſita non praeſtari poſſit, niſi ad ſolidas et fluidas partes ſimul reſpiciamus; hinc primariae indicationes eo redeunt, ut ſub aequabili ſolidorum motu, fluida diluantur et blande reſoluantur, et per haec ita diſpoſita, partes ſolidae humectentur et emolliantur; ſpaſmo autem accedenti, antiſpaſmodicis aptis occurratur, ideoque tenſio fibrarum imminuatur.

§. 1430

§. 1430.

Vti vero praecipua rigiditatis cauſa in motu nimio poſita eſt, ſic quies vel certe motus moderatus iis, qui ex rigiditate laborant, ſuadendus eſt. Non ſolum vero motus vehementiores euitent, ſed ſequentes etiam diaetae regulas ſedulo obſeruent: ſomnum, qui ipſos fugit, omnibus modis alliciant et foueant; in aere temperato, magis humido, quam ſicco, magis frigidiuſculo, quam calido verſentur, animique affectus, quantum fieri poteſt, moderentur; quibus omnibus blanda et aequabilis ſanguinis et humorum circulatio conſeruatur, ſub qua apta corporis nutritio abſoluitur.

§. 1431.

In victu iuſcula tenuia ex carnibus bonae notae, cum oleribus recentibus, mollibus, reſoluentibus, ſcorzonera, cichorio, ſpinachia, aſparago cet. nec non farinaceis cerealibus cocta, eligant, iurulentum ſpiſſum et glutinoſum animalium et vegetabilium victum fugiant, quod ſpiſſos nimium humores reddit; potu calido utantur, ſed non abutantur, ſero lactis dulci vel leniter aceſcente refrigerentur; emulſionibus ſeminum, v. c. amygdalarum dulcium et papaueris emolliantur; ptiſanas, cum farinaceis vel radicibus reſoluentibus paratas, crebrius quidem ſed parciori doſi hauriant, ſpirituoſa autem potus genera fugiant, niſi ventriculi robur, diaeta emolliente laeſum, talia interdum exigat.

§. 1432.

Cum his diluentibus ſalina, in primis nitroſa medicamenta, et qui ſaponaceae indolis eſt, liquor terrae foliatae tartari, danda ſunt, quae condenſa-

 tum

tum ſanguinem reſoluunt et magis meabilem reddunt. Dulcia, ex ſaccharo et melle parata, hic quoque in cenſum veniunt, et ſenibus maxime ſuadenda ſunt, pro quo ſcopo etiam omnia ſic dicta ſaponacea medicamenta, ex herbis lacteſcentibus amaris, nec non gummi ferulacea addenda ſunt, quibus omnibus facilior diluentibus particulis ingreſſus ad ſanguinem conciliatur, quo in aequabili earum per canales diſtributione relaxationis effectus melius abſolui queat. His, ſi opus eſt, addantur lenia laxantia, lubricantia ex oleis plantarum preſſis, et refrigerantia ex acidulis, tamarindinatis, mannatis, cet.

§. 1433.

Cum vero fibrae, rigidiores iam factae, et illae in primis, quae per veram ſymphyſin §. 963. in ſenibus praecipue coaluerunt, nullo modo ita mutari poſſint, ut in priorem ſtatum redeant, et humoribus ubique peruii euadant; relaxationis ſiue humectationis effectus, qui ex modo dictis obtinetur, eo tantum redire videtur, ut quaedam particulae, minus denſae et emollientes aquoſo oleoſae, aliis denſioribus interponantur, quo fibrae, quae ad aequabilem et blandam cohaeſionem reduci nequeunt, ad minimum flexiles magis euadant, ne fluida per earundem actionem nimium condenſentur, ſed aequabili motu per partes corporis pellantur.

§. 1434.

Sed et externae partes, ut cutis, et ſub ea ſita ligamenta et muſculi, magis rigidi facti, aliquam mutationem admittunt, quando oleoſa unguenta et emollientes vapores iis applicantur. In cenſum hic

veniunt

veniunt emollientes plantae, malua, althaea, verbaſcum, ſeminum cerealium et leguminoſorum farinae, prae reliquis tamen illae, quae praeter emolliendi virtutem, blandam quandam anodynam et reſoluentem vim exercent et ſpaſmis ipſis reſiſtunt, meliloti, chamomillae et ſambuci ſummitates et flores, ſemen lini, nec non gummi ſaponacea, ad internum uſum ſupra laudata.

§. 1435.

Haec varia ſub forma applicari poſſunt: praeſtant interdum pulueres ex iis parati, et cuti inſperſi vel in ſacculis contenti, qui perſpirationem intendunt, et humores emolliendo aptos alliciunt. Fortius agunt vapores, fomentationes, cataplaſmata, emplaſtra et linimenta, ex iis parata, porro olea preſſa, blanda, demulcentia, inunctione et frictione applicata, immo ipſa balnea, ex decoctis harum plantarum ſapone et lacte parata. Vaporum recens mactati animalis et calore blando et partibus emollientibus ſcatentium, inſignis efficacia laudatur. An perſpiratio vicina iunioris et ſani corporis rigiditatem ſenilem corrigit, applicando vapores ſanos?

§. 1436.

Plurima ex his et ſpaſmis medentur, quatenus illi in fibra rigida et laxa a peculiari et morboſo fluidi neruei influxu excitantur; §. 957. apta tamen ſimul eligenda ſunt antiſpaſmodica, quae vehementes nimium motus cohibent, ut ſunt caſtoreata et ſuccinata nobiliora medicamenta, nec non alia, quae efficacia peculiari, vix definienda exacerbatos naturae motus ſopiunt, ut anodyna leniora, quae tamen ex cauſa irritante ſpaſmi et idioſyncraſia accu-

 ratius

ratius determinanda ſunt. Externe quoque opiata applicantur, nec non oleum populeum, emplaſtrum de cicuta et alia ſimilia.

# CAPVT II.
## DE LAXITATE SOLIDORVM ROBORANDA.

§. 1437.

Laxitas ſolidorum §. 954. ex ſuis ſignis cognita §. 1202, in fibris ſingulis, nec non in vaſis et viſceribus deprehenſa, praecipue quidem ſexui ſequiori, nec non infantili et iuuenili aetati propria eſt, ideoque in corporibus phlegmatici et ſanguinei temperamenti deprehenditur. Si hic laxitatis ſtatus ſatis euidens eſt, ut in obeſis, corpora mollia, fluidis copioſis non raro ſpiſſis et immobilibus ſcatentia, ſiſtit. Debilitas §. 958. 1204. quae etiam in rigidioribus et exſuccis corporibus adeſſe poteſt, a ſolo defectu vel inertia fluidi neruei dependet, et utplurimum a variis diaetae erroribus v. c. a nimia et praematura venere §. 870. inducitur et potiſſimum poſt graues morbos ſuperatos relinquitur.

§. 1438.

Vix vero in morboſo hoc corporis ſtatu alias proponere poterimus indicationes, quam quas in indicationis vitalis diſquiſitione Part. II. examinauimus. Bonis enim ſuccis, per nutrientia apta ingeſtis §. 1346. ſeqq, roborantia addenda ſunt, quibus applicatio nutrimenti eiusdemque aſſimilatio per-

perficitur. §. 1352. ſeqq. His praeſuppoſitis elaboratio et ſecretio fluidi neruei ex voto ſuccedit, quae tamen, ſi opus eſt, analepticis §. 1357 ſeqq. et ſtimulantibus §. 1369 adiuuari poteſt. Quoniam vero ſupra in capite de roborantibus diaetetica tantum conſilia exhibita fuerunt, nunc de medicamentis, laxitatem mutantibus, plenius dicendum eſt.

§. 1439.

Robur fibris, vaſis et viſceribus, nunquam reſtituitur, niſi corpus optimis ſuccis repletum deprehendatur, quo apta materia nutritionis praeſto ſit. Hinc in corporibus impuris noſtra indicatio non prius, quam cacochymia ſuperata et diſcuſſa, formanda et per ſua indicata quaerenda erit. Euacuantia itaque rhabarbarina, quae roborandi vi non deſtituuntur, primo omnium eligenda et exhibenda ſunt, quo vis ſolidorum, ſine qua cacochymia, applicatis etiam optimis remediis, non prorſus diſſipari poteſt, lente ſimul inducatur, et medicamentis rite diſpoſitis una curatio quaſi cum altera perficiatur. Robur enim in impuris corporibus vix attingitur; et ſi id etiam reſtituatur, alia tamen mala, ex quibus hydrops exempli loco adducatur, excitantur.

§. 1440.

Cum vero augendi roboris neceſſitas maius partium, fibras componentium, cohaeſionis et niſus incrementum exigat; indicatio eo redit, ut vaſorum actio, in liquida tranſprimenda adiuuetur, quod potiſſimum motu partium et earundem compreſſione abſoluitur, poſt ea vero particulae adducantur medicatae, quae, dum ad minima penetrant, fibris

ipſis ſe interponant, et cohaeſionem et niſum maiorem efficiant. Licet vero ex medicamentis roborantibus pauca ad minimas fibras accedere et potiſſimum in primas vias agere videantur, experientia tamen docet, ipſas medicamentoſas particulas altius ſaepe penetrare et in iis etiam, in quibus digeſtio nondum valida eſt, robur in minimis aliquo modo induci poſſe.

§. 1441.

Motu et frictione corpora optime roborari poſſe, victumque ex fructibus horacis ſubadſtringentibus huic indicationi conuenire §. 1352. ſeqq. propoſuimus: Sed, cum frictio ſuperficialis et motus leuior in aegrotantibus non ſemper ſufficiant, conſtrictio partium per faſcias, quibus vaſa et fibrae diutius continentur et firmantur, ut in partiali laxitate, v. c. abdominis et pedum inſignis uſus eſt. Illae etiam toti corpori interdum applicari poſſunt, dummodo hoc non adeo impuris ſuccis ſcateat. Quod ſi enim humores arctius intra vaſa contineantur et ſolida ipſa in minimis niſum fortiorem exercere cogantur, melius omnino elaborata humida ultimum robur praeſtare et ſolidis ſe applicare valebunt.

§. 1442.

Aqua frigidiuſcula, in balneis applicata, et cutem roborat, et ſudores intra aptae perſpirationis limites coercet, ſic primis viis et aliis internis quoque partibus roborandis conuenit. Non incongruum itaque eſt in febribus acutis, ſudoribus profuſis nec criticis relaxatam cutem, per quam optimi ſucci diſſipantur, et totum corpus infirmum redditur, frictione cum ſpongiis, aqua frigida madidis, robo-

roborare; licet hac in re maxima cautela opus ſit, ne corporibus, malignis humoribus ſcatentibus, frigida applicetur. Aquae minerales martiatae, ut Lauchſtadienſes, plus valent. Stillicidia aquarum in partes relaxatas maiori impetu agunt, ideoque in primis in laxitate partiali, cum qua partis alicuius obſtructio, immobilitas aut inſenſibilitas coniuncta eſt, ſaepe inſigni cum fructu adhibentur.

§. 1443.

Niſi aeſtus in aegris urgeat, medicamenta, balſamica et tonica dicta, optimos uſus praeſtant, in primis tum temporis, quando viſcidos ſimul humores reſoluendi finem medicus ſibi proponit. Praeter lignum guaiacum, radices chinae et pimpinellae, aliaeque ſimiles, gummi laccae et hederae, ſuccinum, myrrha et maſtix, huc potiſſimum referantur, in quibus praeter vim reſoluentem, quae a gummoſis et reſinoſis partibus dependet, et in tenacitate humorum ſaepius requiritur, alias, quae fibras minimas quoque roborant, deprehendimus. Priora in decoctis aquoſis concentratis, omnia vero in ſolutionibus ſpirituoſis, egregium uſum praeſtant. Gummi laccae vis, in gingiuis laxis roborandis, adeo nota eſt, ut ad internas quoque partes illud applicari poſſe, nullum ſit dubium.

§. 1444.

Omnes plantae amarae ob abundantiam partium terreſtrium roborandi vi pollent, et in infuſis, decoctis et extractis, licet non raro nauſeoſa ſint, cum fructu tamen adhibentur. Abſinthii, fumariae, cardui benedicti herbae et gentianae radix exempli loco adducantur, quibus alia plura addi poſſunt. In

primis

primis vero herba millefolii, quae tamen non adeo amara et nauſeoſa eſt, pro hoc ſcopo laudatur, eiusque vires cum tenuibus quoque iuſculis, pro nutriendi et roborandi fine, ſaepius in medicina applicantur.

§. 1445.

Celebre quoque medicamentum factum eſt cortex peruuianus ſiue chinae chinae, qui reliquis amaris, roborantibus, facile palmam praeripit, dum modo notae bonitatis, in materia medica expoſitae, illum commendent. Infuſum aquoſum vel etiam frigida aqua factum, leniſſimum quidem eſt, attamen viribus non deſtituitur, et in imbecillis hominibus non raro reliquis ipſius praeparatis praeferri meretur. Puluis, cuius vis febrifuga adeo laudatur, hunc effectum non niſi ex roborante indole praeſtat. Ii, qui puluerem reſpuunt, forte in electuario eum ſumunt, non nullis etiam infuſum vinoſum concedatur.

§. 1446.

Prae reliquis vero roborantibus ideo ille potiſſimum laudatur, quoniam certis effectibus perſpicimus, eum non tantum ad primas, ſed ad minimas quaſi et remotiſſimas corporis vias penetrare, ita, ut in ſtatu conualeſcentiae poſt grauiſſimas febres acutas, et in gangraena partium, imminente vel praeſente, aliisque pluribus in caſibus maximo cum fructu exhibeatur. In corporibus impuris, caute datus, febres non nunquam excitat, vel irregulares naturae motus ad ordinatos paroxyſmos deducit; idque non tantum in febribus intermittentibus, ſed et in continuis praeſtat, ſi vires in his ad coctionem perficiendam haud ſufficiunt. Optimus in relaxatis corpo-

corporibus eius eſſe videtur effectus, ſi roborando aluum moueat et ſuperfluos ſaepius humores expellat.

§. 1447.

Licet vero vix aliud inveniri videatur remedium, quod optimo cortici peruuiano ſubſtitui poſſit; dantur tamen plurimae ex leniter adſtringentibus plantis, pro ſcopo interno non prorſus contemnendae. Sic enim vina auſtera, rubra, pontac dicta, et nobiliora alia, his ſimilia, et analeptica ſunt et roborandi vi pollent. Ex cydoniis parata medicamenta, ſucci acaciae et aliorum fructuum ſubadſtringentium, v. c. rob, ex ſorbi baccis paratum, laudari quoque merentur. Tamariſcus, fraxinus, pentaphyllum, tormentilla, biſtorta, lapathum, ſanicula, alchimilla aliaeque plures plantae in corticibus, radicibus et herbis vires ſubadſtringentes, in aptis medicamentorum formis exhibendas, obtinent.

§. 1448.

Haec et plurima alia, quae in materia medica recenſentur, fortius quidem adſtringere videntur, in externis tamen medicamentis, ſi quoque primas vias interdum obſtipando laedant, non negligenda ſunt. Sic balnea, pediluuia, epithemata ſicca et humida, ex his parata, vel ſpongiis vel pannis laneis ad partes roborandas applicata, leni ſtimulo et euidenti adſtrictionis ſenſu robur fibrarum augent. Suffitiones et caloris vi et particularum reſolutarum indole, ad tumores oedematoſos diſſipandos, adhiberi poſſunt, niſi quid adſit, quod externa talia remedia contra indicet, in primis vero dicta medicamenta, in vino rubro vel aceto cocta, menſtruum, ſolu-

ſolutioni aptum, obtinent, et ipſum acetum roborando diaphoreticam vim acquirit, ſi interno uſui deſtinatur.

§. 1449.

Acida quoque mineralia huc referri merentur. Terris nobilioribus bolo armeno et terrae lemniae non tantum ex natura terreſtrium et martialium particularum, ſed ex acido quoque adhaerente vis roborandi competere videtur. Multi commendant lapidem haematitem, quem tamen minus ſolubilem eſſe iudicamus. Alumen forte non contemnendum, caute tamen adhibendum eſt medicamentum. Vitriola martis interno, veneris externo, magis uſui deſtincta ſunt, et illa potiſſimum in aquis mineralibus, quibus inſunt, egregiam vim roborantem praeſtant, ut in pyrmontanis, egranis, aliisque conſpicimus.

§. 1450.

Eſt tamen mars magis in limatura, quam in terris martialibus optimum medicamentum, cum in primis viis ipſis ſoluatur et ita in pulueribus vel melius in pilulis, cum extractis amaris et gummi ſaponaceis roborantibus, commode adhibetur. In eo caſu, ubi acidum vegetabile in primis viis peccat, ſolutio certa praeſtatur et vires eius corporis partibus conuenienter applicantur. Eius etiam ſolutiones, cum menſtruis aptis v. c. vino rhenano factae, et aliae tincturae martiales, in primis viis euidenter agunt, et faeces aluinas nigro colore imbuunt; altius quoque minimasque vias penetrare valent, et in lymphae morbis cum fructu adhibentur.

§. 1451.

§. 1451.

Multi ſunt morbi, qui a nimio victu, eoque in primis iurulento, potu calido nimio, et vita otioſa originem trahunt, et in humoribus quidem, non ſatis elaboratis ſed male mixtis, haerent, quibus tamen non niſi roborantium uſu ſuccurrere poſſumus. Nec nutritio in debilibus, a morbo graui conualeſcentibus, perficitur, niſi roborantibus adiuuetur, hinc noſtro potiſſimum tempore eorum uſus in praxi, per indicationes ſupra definitas, adeo neceſſarius factus fuit, ut inter noſtrates neglectus potius quam abuſus horum medicamentorum accuſandus ſit. Praecipua cautela in his eſt, ut aluuus ſemper libera ſeruetur.

§. 1452.

In externo autem roborantium uſu, licet eorum vis haud adeo penetrare videatur, partes tamen, quibus applicantur, probe diſcernendae ſunt; glanduloſae enim easdem rarius ferunt. Interdum quidem tumores orti roborando reſoluuntur, et in faucium tumoribus gargariſmata ſubadſtringentia cum fructu ſaepius applicari videmus, non raro tamen niſi morbi ipſius et ſelectus remediorum habueris rationem, et ſpiſſa lympha in vaſis minimis cogitur et ſcirrhi generantur. In aliis quoque partibus, contextu celluloſo obuolutis, humores, in eodem coacti, inde ſtagnant, et, fluidiſſima parte diſſipata, nodos irreſolubiles relinquunt, ut tumores arthriticorum adſtringentibus curati teſtantur.

CAPVT

# CAPVT III.

## DE VNITATE SOLVTA COMBINANDA.

§. 1453.

Vnitas ſoluta §. 959. ſiue vulnus, in genere conſideratum, variis modis variat, et hinc inde quoque varia nomina recipit §. 971. et ex ſignis ſuis cognoſcitur §. 1210. 1211. Nos, qui ad vulnerum curationem in genere tantum reſpicimus, generales quoque indicationes attendimus, easque ſuo modo in cautelis additis, tum ad vulnera mollium partium diuerſae indolis, tum ad vulnera et praecipue fracturas oſſium eorumque mutationes in conſolidatione, tum ad ulcera varia applicamus, et ita ad praecipua chirurgiae capita rectius intelligenda viam pandimus.

Morborum, a chirurgis conſiderandorum, ratio generalis non tantum ex hoc, ſed ex aliis variis therapiae generalis capitibus, v. c. Cap. X. ubi de inflammatione agitur, petenda eſt, praecipua tamen commode hic coniungi poterunt momenta.

§. 1454.

Vulnera pura, in ſanis corporibus, naturae beneficio curantur. Cum autem nec pura ſemper ſint vulnera, nec in ſanis ſemper corporibus accidant, in omni vulneris curatione illud, quod partibus, in unitate ſolutis, ſe interponit, vel id peregrinum aliquod corpus, vel ex corpore affluens et ſtagnando corruptus humor ſit, remouendum eſſe, cognoſcimus, quo poſt modum orae vulneris ſibi iungi, in quiete conſeruari, et ita coaleſcere queant. Cum vero

vero haec coalitio ab affluxu optimi lymphatici ſucci dependeat, eo reſpiciendum eſt, ut corpus ipſum bonis ſuccis ſcateat. Inter ea vero vulnus vel hoc ipſo affluxu, vel additis medicamentis aptis in humido calore conſeruetur; vel, ſi opus eſt, nimius affluxus humorum aptis medicamentis coerceatur.

§. 1455.

Vulnus itaque, recens inflictum, attente conſideretur, quo ea, quae a corpore laedente illi adhuc inhaerent, vel cum eo introducta fuerunt, caute eximantur, ſic v. c. feſtuca inflicta, vel pulueris pyrii vel plumbi particulae remoueantur, ne premendo vel irritando partes vicinas laedant et inflammationem et ſpaſmum, qui uterque effectus laeſionem factam iam per ſe ſequitur, adhuc augeant. Quod ſi vero hoc in principio non fieri poſſit, ſuppuratio, quae poſt inflammationem, in vicinia excitatam, oritur, partes laeſas ita tollit, ut cum pure demum peregrinae particulae exeant, et vulnus ita depuretur.

§. 1456.

Leuior inflammatio, circa vulnus oborta, ſibi relinquenda, et patienter ferenda, grauior autem ſuo modo coercenda eſt. Praeter venae ſectionem et in vehementiori inflammatione repetitam, parti ipſi dolenti emollientia, quae ſuppurationem accelerant, partibus vicinis, ad quas inflammatio ſe extendit, eodem modo, ut in caſu ſugillationis, epithemata diſcutientia, ex decoctis herbarum amaricantium v. c. abſinthii, agrimoniae, hyſſopi, ſcordii applicanda ſunt. Quo in caſu interne temperantia, diluentia, acidula et nitroſa exhibenda et

aluus, ſi opus eſt, leni purgante vel clyſmate euacuanda eſt.

Differentia medicamenti, ad partem laeſam et vicinam applicandi, omnino attendenda eſt: ſi enim diſcutientia ſolum applicaueris, ora vulneris ſaepe nimis exſiccantur, ſi emollientia tantum, gangraenoſa corruptio acceleratur.

§. 1457.

Accurate etiam attendendum et ex anatomica partium cognitione et ſymptomatibus obortis diiudicandum eſt, num in vulnere inflicto arteria vel vena maior, an neruus vel alia pars neruoſa, an os, vel ex parte, vel ex toto dilacerata, diſciſſa, fracta, vel ex ſede ſua diſtracta ſint, quo non tantum vulneri in genere, ſed etiam ſpeciatim partibus illis ſingularibus proſpicere queamus. Praeter ea etiam ſpecillo vulnus examinandum eſt, an in cauitatem quandam corporis penetrauerit, quo et damna, inde metuenda, praecipue effuſi ſanguinis corruptionem, praecauere queamus.

§. 1458.

Haemorrhagia oborta vel obuoluendo partem laeſam, vel vulnus linteis carptis obturando, facile ſiſtitur. Spirituoſa applicata remedia vaſa laeſa cum aliquo incommodo ſtringunt, tutiora tamen ſunt, quam pulueres et liquores alii nimium adſtringentes, vel impura vulnera efficientes. Arteria pulſando ſanguinem per interualla emittens, ſi ex magna ſui parte laeſa, non vero tota diſciſſa eſt, diſcindatur; ſi maior eſt et retrahendo ſe obſtruere nequit, arripiatur et ligatura conſtringatur. Fungo tenaci, agarici nimirum ſpecie, qui ſanguinem ſugit,

arteriam coarctat et in eius extremitate thrombum gignit, ſanguinem ſiſti poſſe, non nulli ex recentioribus affirmant. Inter ea tamen ramus maior arteriae, ex quo laeſa producitur, aptis faſciis comprimendus eſt, quod in extremitatibus faſcia tortili optime perficitur.

§. 1459.

Neruus quoque, ex parte laeſus, diſcindendus eſt, cum fibrae eius, nondum diſciſſae ideo vehementer tenſae, dolores, ſpaſmos et inflammationes, efficiant. Tendinum, expanſionum aponeuroticarum ſimiliumque partium neruoſarum eadem eſt ratio. Vbi itaque diſciſſio vel fieri nequit, vel alia incommoda inde metuenda ſunt, ibi doloribus, quantum fieri poteſt, mitigatis vulnus caute tractandum et pus mouendum eſt, donec ſeparatio fibrarum neruoſarum corruptarum a ſanis ſequatur, et ita vulnus conſolidationi aptum euadat.

§. 1460.

Oſſium fracturae, ſi partes vicinae molliores parum laeſae ſunt, extenſione partis, contraextenſione et repoſitione ita diſponantur, ut ſub quiete conueniente, extrema confracti oſſis conferueant; ſi vero partes diffractae vel ex vulnere eminent, vel a reliquo oſſe ſeparatae inhaerent, inſtrumentis aptis decerpendae et educendae ſunt. Cum vero pars oſſis, perioſteo denudata, vel aere, vel acri humore tacta emoriatur, exfoliatio ſiue ſeparatio partis mortuae a ſana et viua patienter expectanda eſt antea, quam vulnus conſolidetur.

§. 1461.

In corporibus ſanis optimisque ſuccis repletis, haec vulnerum depuratio et coalitio ex voto ſuccedit. Succi enim, ex apertis in vulnere vaſculis minimis oriundi, affluunt, illud replent, et noua quaſi vaſcula ex minimis illis adhuc praeſentibus elongatis propullulare videntur, quo, exſiccatis nec ab inflammatione adeo dolentibus marginibus, cicatrix formari et ſolidior demum reddi poſſit. In impuris vero corporibus varia ſymptomata oriuntur; vel enim gangraenoſa et ſphaceloſa diſpoſitio inducitur, vel vulnera ipſa prorſus non coaleſcunt, ſed in ulcera mutantur.

§. 1462.

Ad internam itaque curationem quod attinet, medicus ex aliis doctrinae therapeuticae capitibus aegro ſuo proſpiciat, ita, ut diluendo et reſoluendo humores, ſolidaque roborando, diſpoſitionem corporis morboſam in ſanam mutet, et in primis ad cacochymiam, in aegro occurrentem, reſpiciat, quo neceſſariis indicationibus inuentis, et per ſua indicata expletis, obſeruato praeter ea accuratiſſimo regimine, optimos ſuccos, curationi vulneris conuenientes, alliciat; in ipſo vero vulnere ad ſequentia potiſſimum reſpiciat.

§. 1463.

Si labia vulneris et vicinae partes neceſſaria inflammatione non turgent, nec apta et ſuccedente ſuppuratione emolliuntur, ſed potius in contextu celluloſo vicino corruptio putrida prorepit, et gangraenam excitat, epithemata aut cataplaſmata ex herbis amaricantibus et leuiter aromaticis §. 1456. debito

debito caloris gradu obſeruato, applicanda, vel magis aromaticae plantae, ut ruta, ſaluia cet. eligendae et pro re nata, vel in vino, vel in aqua coquendae, aceto et ſale ammoniaco ad coercendam putredinem ſuperadditis. Corruptae vero partes incidendo et ſcarificando ita diſponendae ſunt, quo horum medicamentorum vis, vel ea, quae ſiccitati vulnerum medentur, eo altius penetrare et ita, noua inflammatione et laudabiliori ſuppuratione motis, mortua a ſanis ſeparari poſſint. Inter ea roborantia et cardiaca medicamenta in primis cortex peruuianus exhibeantur, febris iuſta habita ratione.

§. 1464.

Grauius malum eſt ſphacelus, qui partes ipſas organicas profunde aggreditur, deſtruit, et foetidiſſima putredine reſoluit, quo in caſu quidem laudata epithemata non negligenda ſunt, quoniam tamen iis potiſſimum partes vicinae defenduntur, ipſae emortuae partes altius conſcindendae, ideoque, pure per nouam inflammationem moto, a ſanis ſeparandae ſunt. Si vero pars laeſa conſeruari nequeat, tandem praeſcindenda erit. Interdum alcohol vini applicato et emortuae partes exſiccantur, et ſine ulteriori corruptionis progreſſu perſiſtunt.

§. 1465.

In carcinomaticis glandularum et partium ſimilium corruptionibus, vel ex acri humore, in vaſis minimis ſtagnante et rodente, vel ex ſcirrho, diu tolerato, genitis, exſtirpatio unicum et ſaepe certum remedium eſt. Interdum enim ſingularis humorum acrimonia et decubitus carcinomaticam diſpoſitionem denuo inducunt. Acida mineralia val

de diluta et caute applicata, quae putredini reſiſtunt, nec non narcotica alia, quae dolores ſopiunt, v. c. belladonna, palliatiua videntur eſſe remedia.

§. 1466.

Caries oſſium ulcus quaſi in oſſe ipſo natum denotat, quod per perioſteum laeſum ad laminas oſſis ipſius delatum fuit. Si ſanum de reliquo corpus eſt, laminae corruptae ſenſim ſenſimque exfoliatae ſecedunt, quo, nouo perioſteo inducto, oſſis ſuperficies ſaneſcat et firmetur. Externis quoque remediis, quae exſiccant, et radendo, ſi fieri poteſt, laminae emortuae ad meliorem ſeparationem diſponuntur. Vbi autem corrupti humores, vel in corpore toto, vel in vulnere collecti, proſerpendo laminarum deſtructionem augent, ibi, praeter internam curationem, et ſpeciali acrimoniae ſaepius accommodandam, ut in venereis malis, externe aromatica et arrodentia v. c. oleum caryophyllorum et euphorbii eſſentia et puluis applicanda ſunt. Denſa oſſa carie non adeo facile deſtruuntur, quam ſpongioſa, in quibus corruptio ſubito prorepit. Medulla oſſium, ab internis cauſis vitiata, exoſtoſin malignam, paedarthrocacen, tandemque in partibus mollioribus ſupernis ſordidiſſima ulcera efficit.

§. 1467.

Vlcera externa, non adeo profunda et ſaepius integumentis tantum inhaerentia, ichore ſcatent, et ad ſuppurationem laudabilem vix deducuntur, quod incommodum diaeta apta et medicamentis, cacochymiae contrariis, externae autem remediis ſuperimpoſitis abſtergentibus et pus mouentibus, corrigitur. Si vero cruſta tenax materiae corruptae et

viſcidae,

viſcidae, vel caro fungoſa propullulans conſpicitur, tunc ſuperficies ulceroſi vulneris cauſticis v. c. alumine uſto, butyro antimonii, lapide cauſtico chirurgorum, vel omnium optime lapide infernali tangitur, quo eſchara formetur, eaque dein emollita et ſeparata, per inflammationem paulo maiorem inde excitatam, blanda et conueniens ſuppuratio oriatur.

§. 1468.

Vlcera vero ſinuoſa atque fiſtulae ingreſſum horum medicamentorum aptamque applicationem non admittunt, hinc ſectione chirurgica, ſi fieri poteſt, haec caua aperienda, et ſcarificando vel cauſtica applicando interior cruſta delenda, et leniori inflammatione, in parte vicina excitata, ſuppuratio bona, qua vulnera munda redduntur, mouenda eſt. Si hoc fieri nequit, iniectio arrodentis et inflammantis medicamenti, v. c. ſpiritus ſalis ammoniaci, ſimilem interdum effectum producit. Nunquam tamen ſectio vel iniectio ſuſcipiatur, niſi cauo ulceris accurate examinato, ne partes laedantur, quae maius periculum inducunt.

§. 1469.

Si orae vulnerum leuiori quidem inflammatione turgent, ſed ſiccae et rigidae ſunt, tunc blanda emollientia applicata fibras laxant, et ad eam mutationem, quae in ſuppuratione neceſſaria eſt, diſponunt. Praeſtant hoc praecipue emollientia, in forma epithematis vel cataplaſmatis ſuperimpoſita, in ſpecie oleoſa, ex oleis preſſis cum variis plantis digeſta. e. g. oleum hyperici, nec non pinguedines animalium, ut ſeuum hircinum, quae tamen rancida non ſint, ne nimium irritent inflammationemque

praeter neceſſitatem augeant. Cum vero per ſe ob viſcidam et lenteſcentem indolem apte applicari non poſſint, cum melle, vitello ouorum, terebinthina ſimilibusque balſamis commiſcentur, ut exemplo balſami ARCAEI videmus, qui ex terebinthina, gummi elemi, et pinguibus conficitur. Haec digerentia et ſuppurantia dicuntur, et fibras et vaſculorum ora relaxando et paululum ſtimulando, affluxum humorum augent.

§. 1470.

Si nimius affluxus humorum nimiaque ſuppuratio eſt, ſicca vulnerum obligatio interdum prodeſt, efficitque, ut ora vaſorum, in vulnus hiantium, contrahantur. Interdum etiam aqua ſclopetorum, quae balſamica et ſemiſpirituoſa eſt, vel eſſentiae ſpirituoſae balſamicae, myrrhae, ſuccini, cet. plumaceolis applicentur; his enim vaſa roborantur, affluxus nimius humorum compeſcitur, et vulnus ad ſiccitatem et coalitionem diſponitur. Vulnera impura crebrius quidem abſtergenda, puriora vero et ad conſolidationem apta parcius deliganda ſunt, ne ſuccus tenerior lymphaticus gelatinoſus, ipſam conſolidationem praeſtans, nimium abſtergatur.

§. 1471.

Letalitas vulnerum ex laeſae partis ad vitam continuandam neceſſitate, ex applicatione minus conuenientium auxiliorum et ex deprauata indole aegrotorum in fluidis et ſolidis, rite diiudicatur. In foro autem vulnus abſolute et per ſe letale dicitur, ſi pars ad vitam plane neceſſaria laeditur, eaque laeſione effluxus humorum vitalium inducitur. v. c. vulnera cordis, aortae, venae cauae, mediae et tendineae

dineae partis diaphragmatis cet. in quibus quidem nullum exemplum curationis unquam praeſtitae exſtat; reliqua cuncta, quae in ſanis alias corporibus, ſub accurata auxiliorum applicatione unquam curari potuerunt, ſi letalitatem inducunt, per accidens letalia dicuntur. Et licet multi occurrant caſus, qui inter letalitatem abſolutam et accidentalem poni poſſunt, ſpeciali tamen examine inſtituto, ad unam alteramque reducendi ſunt.

# CAPVT IV.

## DE TENVITATE HVMORVM INSPISSANDA.

### §. 1472.

Tenuitas humorum ſiue cacochymia ſeroſa §. 940. ex ſuis ſignis cognita §. 1191. rarius adeſt, niſi in iis, qui debilia et relaxata ſolida viſceraque maxime infirma habent, et ita ſeroſam ſanguinis partem nec diſſipare, nec reliquis viſcidis et gelatinoſis partibus aequabiliter admiſcere poſſunt. Hinc optima curatio, his applicanda, in iis poſita eſt, quae ad debilitatem et laxitatem corrigendam apta inuenta fuerunt, quibus itaque robur viſcerum omniumque partium, in aſſimilatione humorum concurrentium, adiuuatur.

### §. 1473.

Vti vero his conſiliis fluida ſuperflua, per ſecretiones aptas, ex corpore diſſipantur; ſic acrimonia, in tenuitate humorum nimia non raro nata, incraſſantia ſic dicta expetit, quorſum in victu gelatinae

ex animalibus et mucilaginoſa ex vegetabilibus ſpectant, et ex medicamentis radix althaeae et ſymphyti, nec non tragacantha et ſimilia adduntur. Licet enim haec ſolida relaxare videantur, ſi tonus tamen ſolidorum motu et aliis auxiliis ſimul conſeruatur, maior cohaerentia minimarum particularum et condenſatio fluidorum ſenſim obtinetur. Ptiſanae igitur ex farinaceis, nec non emulcta ex ſeminibus farinaceis et lac ipſum vel gelatinae acidulatae conueniunt.

# CAPVT V.
## DE SPISSITVDINE HVMORVM RESOLVENDA.

§. 1474.

Nimia humorum ſpiſſitudo, in pituitoſa et atrabilaria cacochymia declarata §. 941. ſeqq. et ex ſignis ſuis cognita §. 1192. 1193. non tantum augmentum partium ſeroſarum per diluentia, ſed etiam illa remedia requirit, quae ingreſſum aquoſarum particularum in mixtionem ſanguinis et humorum praeſtant et ita reſoluunt. Hinc ad duplicem indicationem hoc in caſu reſpiciendum eſt. Porro, cum in reſoluendis humoribus pituitoſis laxitas, in atrabilariis rigiditas ut plurimum concurrant, et haec momenta diſcernenda et ex praecedentibus capitibus huc trahenda ſunt.

§. 1475.

Aqua ſimplex et omnis potus aquoſus diluente quidem vi inſignis eſt; aquoſa tamen parcioribus et reite-

reiteratis hauſtibus ingerenda ſunt, quo ſenſim ſenſimque ſanguini et humoribus corporis, non mere aquoſis, ſed illis quoque ex variis particulis mixtis admiſceri poſſint. Cum vero aqua pura ipſos cruoris globulos facile praeterlabatur, nec, niſi a valida actione viſcerum et vaſorum ſubigatur, ptiſanae cum ſaponaceis reſoluentibus, leniter etiam amaricantibus radicibus coctae, ut ſunt ſcorzonera, foeniculum, cichorium, carlina cet. infuſa aquoſa ex his et ſimilibus herbis parata, ſerum lactis et acidum et dulce conueniunt, in quibus tamen omnibus magis ad aquae copiam, quam ad medicamentoſas partes reſpicimus.

§. 1476.

Quoniam vero leuiores hi medicamentoſi ſtimuli, cum aquoſo et diluente vehiculo iuncti, vix ſatis penetrant, non quidem pro diluendi, ſed pro reſoluendi potius ſcopo, potus etiam fermentati, ut cereuiſiae et vina, et his analoga potus genera ingerenda ſunt, quae et in eo caſu conuenientes effectus praeſtant, ubi aquoſus potus ventriculum nimium debilitat. Caue tamen, ne in potu fermentato acida vel fermentans acrimonia peccet, quae ſpiſſos humores ſaepius magis cogit; qua de cauſa etiam ſpirituoſo concentrato interdicendum eſt.

§. 1477.

Omnem aquam, diluendi cauſa ingeſtam, ad reſolutionem aptam reddunt et acuunt ſalia, quae, ut in hoc menſtruo facile ſoluuntur, illud etiam ita diſponunt, ut ſpiſſos humores penetrare ideoque ſolubiles reddere queat. Salis communis uſus in alimentis hoc ſatis comprobat §. 761. et reliqua quo-

que

que ſalia, praeter illum, quem in primis viis edunt, effectum, in ſecundis quoque operantur. Cum autem varia ſit ſalium copia, aliqua eorundem attendenda eſt diſtinctio.

§. 1478.

Salia alcalina fixa v. c. ſal tartari et oleum tartari per deliquium, in primis vero ſalia plantarum, tacheniana dicta, viſcidum potenter penetrant, et acidam acrimoniam, ſi coagulo anſam praebuerit, inuertunt. Efficacius agunt, ſed et aeſtum concitant ſalia alcalina volatilia, cornu cerui, volatile anglicum et ſpiritus ſalis ammoniaci. In aeſtu vero ſimul compeſcendo, et acrimonia alcalica infringenda efficaciam ſuam exſerunt cremor tartari, acetum, reliquaque acida mineralia, nec non nitrum et huic ſimilia, ſal prunellae et polychreſtum. Mediae indolis reliqua ſalia, tartarus vitriolatus, tartarus tartariſatus et alia plura, apto vehiculo excepta, humores ſpiſſos quoque penetrant et reſoluunt.

§. 1479.

Alcalina fixa ſalia autem, cum aceto in media mutata, quae terram foliatam tartari ſiue eius liquorem exhibent, ſaponaceam quaſi vim obtinent, et forti ſtimulo carent, hinc reliquis ſalibus mediis praeſtantiora inueniuntur. Eundem quoque effectum alcalina fixa ſalia, forti igne calcinata et cum ſpiritu vini coniuncta, in tinctura tartari et ſimilibus, quae ex alcali et antimonio fiunt, tincturis praeſtant: Licet enim guſtu acriores ſint et ferme igneae; ſufficienti tamen aquoſo vehiculo exceptae, aeſtum non adeo intendunt, et per urinae vias viſcidum potenter ſubducunt.

§. 1480.

§. 1480.

Effectum ſpiſſa reſoluendi etiam plantae amarae exſerunt, quae ſalia, unguinoſis et terreſtribus partibus iuncta, obtinent, ex his aliae mitiores, ut betonica, agrimonia, ſcordium cet. in infuſis, aliae magis amarae, ut trifolium fibrinum, marrubium, centaurium minus, cet. cum in decoctis ſaepius nauſeoſae ſint, in extractis et pilulis inde formatis adhibentur. Sunt et aliae amarae lacteſcentes, quarum ſucci recentes valent, ut taraxacum, ſonchus, cichorium, quibus interdum, quo ſuccus eo melius exprimatur, beccabunga et aliae plantae aquoſae adduntur. Succi vero vel in iuſculo tenui vel ſero lactis exhibentur.

§. 1481.

Stimulo quodam reſoluentem vim augent naſturtinae et aromaticae plantae, quae ſpecifico quodam oleo ſcatent; et ex prioribus quidem cochlearia, ſinapi, naſturtium aquaticum et hortenſe, nec non aliae plantae ex tetrapetalis regularibus ſiliquoſis et ſiliculoſis huc referuntur, quae non niſi in ſucco recenti cum fructu exhibentur, et interdum vino vel aceto vini addito temperantur. Omnia etiam aromata calidiora, oleo eſſentiali conſpicua, reſoluendi effectum praeſtant; forte tamen magis eam ob cauſam, quod ſtimulent ſolida, quam quod ipſam mixtionem humorum ingrediantur. Hinc etiam ſiccitatem inferunt.

§. 1482.

Herbae ſic dictae capillares, capillus veneris, ruta muraria, ſcolopendrium cet. tenui reſoluente et ſimul roborante principio gaudere, experientia docuit,

docuit, licet ex ſapore et reliquis, per ſenſus exter-nos cognoſcendis, proprietatibus nihil certi colligi poſſit. Adhibentur vero in infuſis aquoſis, vel in ſyrupis, qualis eſt ſyrupus capillorum veneris. His analoga eſſe videntur pulmonaria, hepatica et ſimiles herbae, quibus vis viſcera deobſtruendi adſcribitur, licet euidenti quidem charactere hanc ipſis tributam indolem non exhibeant.

§. 1483.

His ſubiungi et ratione virium, quas in ſe continent, ſaepius praeferri poſſunt, plantae reſinoſae, acres, in radicibus et lignis praecipue inſigni vi praeditae, ut pimpinellae, angelicae, imperatoriae, leuiſtici, ceruariae cet. quibus et guaiacum et ſaſſafras ligna et cortices addantur. Haec in decoctis aquoſis egregio quidem effectu pollent, attamen in infuſis ſpirituoſis praeſtare videntur, in quibus nimirum reſinoſarum particularum vis concentrata eſt, et quae ſuperadditis ptiſanis reſoluentibus, ſuperius §. 1475. indicatis, in effectu ſuo maxime adiuuantur. Et ſuccinum hoc in caſu, in primis in tincturis exhibitum, commendatur.

§. 1484.

Gummi ferulacea ſic dicta, gummi ammoniacum, galbanum, bdellium, ſagapenum cet. ſingulari aliqua vi penetrandi humores viſcidos pollent. In pilulis enim exhibita, vel in oxymelle reſoluta, et infuſis et decoctis ſimul hauſtis adiuta, viſcidum primarum viarum non ſolum reſoluunt et humores per vaſa lactea meabiles reddunt, ſed etiam in ſecundis viis ſpiſſa reſoluunt. Praeter ea quoque in odore peculiari, ipſis proprio, quo oleum ſpecificum

ficum ſe ſe manifeſtat, vim quandam neruinam poſſident, qua ſpaſmos coercent, qui mobilitati et facili tranſitui humorum per minima vaſa ſe ſe opponunt.

§. 1485.

Generali vocabulo haec omnia reſoluentia medicamenta ſaponacea non nunquam dicuntur, quippe quae in actione ſua aquoſas partes ſalinis ita miſcent, ut oleoſas ſuſcipere, ideoque humores noſtros, qui ſimili modo mixti ſunt, in ſtatu morboſo, ubi in ſpiſſius viſcidum mutantur, penetrare poſſint. Sapo vulgaris, purus et venetus, qui ex oleo preſſo et ſale alcalino fixo, ſiue potius ſoda ita componitur, ut aquae ſe ſe miſceat, ſummo iure inter eius generis praeſtantiſſima medicamenta refertur, et reliqui ſapones, qui ratione olei et ſalis ingredientis differunt, ſimilem et interdum maiorem penetrandi vim exercent.

Licet ſaponacea haec medicamenta, in omni viſcido reſoluendo, egregii uſus ſint, tutius tamen exhibentur, ſi acrimonia alcaleſcens et putrida in corpore non praeextiterit.

§. 1486.

Ex minerali regno vegetabilibus his medicamentis ſaepius additur mercurius, vel cum ſulphure per triturationem combinatus, uti in aethiopis mineralis vera praeparatione fieri ſolet, vel cum ſalibus, in variis praeparatis, in primis in mercurio dulci et praecipitato albo, coniunctus. Cuncta haec et alia mercurialia medicamenta parca ſed repetita doſi exhibita humores viſcidos potenter reſoluunt, et, ut per alias vias, ſic per ſaliuales potiſſimum eosdem eua-

euacuant. Antimonium crudum, regulus antimonii medicinalis et ſulphur antimonii auratum, nec non ſulphur ipſum, in primis cum oleis ſolutum in ſic dictis balſamis, vi reſoluendi efficaci pollent.

§. 1487.

Non tamen promiſcue copioſa haec et nunc recenſita medicamenta applicanda ſunt, ſed in pituitoſa cacochymia alia, alia in atrabilaria conueniunt, quoniam cum priore ut plurimum laxitas ſolidorum, cum poſteriore ſaepe ſumma rigiditas coniuncta eſt. Licet itaque illis apta roborantia, his blanda emollientia addi poſſint, in uſu tamen reſoluentium quoque talis ſelectus, qui cuiuslibet aegri diſpoſitioni conuenientia remedia tribuit, inſtituendus eſt.

§. 1488.

Salia nimirum §. 1477. ſeqq. ut reſoluendi vi praedita ſunt, ſic ſtimulando humores alliciunt, et ita ſolida relaxant, quem effectum primae viae ſaepius a largo ſalium uſu non ſine incommodo experiuntur. Hinc amara et in primis extracta plantarum §. 1480. melius ſaepe conueniunt. In laxitate quoque remedia reſinoſa §. 1483. et ex his parata medicamenta, omniaque aromatica, praecipue in ſpirituoſis ſoluta liquoribus conducunt, quoniam aeſtum illa praeſente non facile commouent, ſed humores tantum ad celeriorem motum diſponunt. Ex gummi ſaponaceis etiam hoc in caſu ea addenda ſunt, quae quidem reſoluentem vim, cum roborante coniunctam, habent, ut gummi laccae, myrrha et maſtix.

§. 1489.

§. 1489.

In ſiccioribus vero et viſcido tenaci atrabilario obſeſſis primis ſecundisque viis, ſalina vel per ſe, vel aliis medicamentis iuncta, optime quidem conueniunt, gummi ſaponacea tamen, quae vi emolliente ſimul pollent, ut galbanum et ammoniacum, in his prae reliquis eligenda ſunt, quae quidem et ideo, quod antiſpaſmodica vi gaudeant, reliquis praeferri merentur. Porro quoque et hoc in caſu mellita et ſaccharata dulcia melius, quam in relaxatis corporibus, applicantur.

§. 1490.

Cuncta vero haec medicamenta non tantum interne propinanda, et variis praeparationibus pharmaceuticis ad promtam magis actionem diſponenda ſunt, ſed et vi externa in cataplaſmatibus et emplaſtris efficaciter operantur, ut emplaſtra ex ſapone veneto et gummi ſaponaceis facta et praeter clyſmata etiam, externe applicata, balnea et epithemata teſtantur; licet de his dubium ſit, utrum potius efficacia ſua in ſolida, an etiam quodam modo in fluida ipſa diluendo et reſoluendo agant? Ab unguentis mercurialibus vis maior exſpectatur, quoniam non tantum in vicinas partes, ſed in totum corpus agunt.

§. 1491.

Cum vero non tantum ſanguis et humores ex natura ſua viſcidam quandam indolem obtineant, §. 138. ſed et primae aliaeque viae viſcido quodam muco, ex glandulis folliculoſis ſecreto, a natura ipſa obducantur: §. 228. uſus reſoluentium in multis quidem morbis ſalutaris, non ita tamen continuan-

dus eſt, ut in abuſum vertatur. Licet enim his ipſis viae liberae fiant, tenuibus tamen humidis, ſubductis ſpiſſa in minimis vaſis et praecipue in glandulis ſubſiſtunt, et ab aequali humorum circulo non promoueri poſſunt, et muco illo naturali abraſo, ſolida a quacunque re paulului acri irritantur.

§. 1492.

Multo magis abuſus reſoluentium et diluentium taxandus eſt, ſi ex debilitate ſolidorum optimi et lymphatici corporis humores in viſcidum ſiue glutinoſum ſpontaneum abeunt, et per varia colatoria ſecedunt §. 1021. quo in caſu, cum roborantia et analeptica curationi vix ſufficiant, reſoluentia omnino interdicenda ſunt, quoniam optimos corporis ſuccos ideoque vires corporis magis adhuc colliqueſcere faciunt. Etſi etiam diuturnus reſoluentium uſus ex natura materiae morbi aliquando neceſſarius eſt; roborantia tamen non prorſus ſeponenda, ſed per interualla cum illis adhibenda ſunt. Ipſum enim ſpiſſum et glutinoſum corpora ad laxitatem diſponit, ipſiusque reſolutio a ſolidorum, per roborantia confirmatorum, reactione adiuuatur.

# CAPVT VI.

## DE ACIDO MORBOSO CORRIGENDO.

§. 1493.

De cacochymia corrigenda in genere quidem Part. III. Cap. IV. §. 1420 ſeqq. egimus: cum tamen eandem, ut cauſam morbi conſiderantes, ideo ex

ex diaetetico tantum fonte curandam ſuſceperimus, neceſſarium omnino videtur, ratione cacochymiae curandae, poſt praemiſſa capita antecedentia, acidam acrimoniam §. 946. ſigillatim examinare et in ſequenti capite alcalinam §. 948. et eidem in multis analogam rancidam et biliosam §. 949. acrimoniam corrigere et per apta remedia immutare. De acrimonia muriatica §. 947. corrigenda, ſigillatim non egimus, quoniam praeter diluentia vix alia exigit medicamenta.

§. 1494.

Acrimonia acida §. 946. ex victu vegetabili potiſſimum quidem in primis, ſed et in ſecundis viis §. 1194. 1195. nata et cognita, in imbecillis, et quae motu non exercentur, corporibus naſcitur, praeſertim ſi victu carnoſo nullo vel glutinoſo tantum utuntur. Hinc illa in infantibus, feminis imbecillis et vitae ſedentariae deditis, ſaepius abundat. Licet vero aetate prouectiores, qui corpus labore exercent, hoc acidum ſubigant et mutent, ſi tamen vegetabilibus aceſcentibus crebrius veſcuntur, in primis eorum viis acidum hoc morboſum deprehenditur.

§. 1495.

Cum vero acidum non niſi ex primis viis lente in ſecundas deferatur, in illis praecipue compeſcendum eſt. Primo itaque antacida abſorbentia et inuoluentia medicamenta exhibenda ſunt, et acrimonia immutata paulo poſt euacuantibus aptis ex canali alimentorum eiicienda eſt. Ne vero denuo generetur, victu animali et potu aquoſo acidum diluendum et ita corrigendum eſt, quo illud, quod iam

ad ſecundas vias tranſiit, motu valido circulatorio circumducatur et partim mutetur, partim per varia colatoria e corpore expellatur.

§. 1496.

Acidum, in primis viis haerens, immutant terrea medicamenta, ſcilicet terrae macrae, natiuae, creta, lac lunae et ſimiles, nec non terrae, ex praeparatis et calcinatis partibus animalium durioribus in officinis occurentes, lapides cancrorum, conchae ſine igne praeparatae, cornu cerui uſtum, oſtracodermata varia. Limatura martis etiam inter abſorbentia referenda eſt, praeſertim, cum ſimul laxitatem corrigat. Eundem vero effectum non abſorbendo, ut praecedentes, ſed inuoluendo potius, praeſtant bolares terrae et margae nobiles, ut bolus armenus, terra lemnia et lithomarga rochlitzenſis.

§. 1497.

Obſeruandum vero eſt, magnam horum medicamentorum terreſtrium molem non ingerendam eſſe, praeſertim, ſi viſcidum et glutinoſum cum acido in canali alimentorum ſaepius abundet, in quo caſu rhabarbarinis et aliis blandis laxantibus ſaburra omnis mutata ex primis viis eiicienda eſt. Hinc in infantibus ſaepius terrea abſorbentia rhabarbarinis cum fructu iunguntur. Cum etiam terrae, in minutiſſimum pollinem redactae, acidum minus reſorbeant, quam groſſo modo contuſae, artificioſa nimis praeparatio in his magis nocet, quam prodeſt. Terrae calcinatae acidum quidem maxime abſorbent, acrimonia tamen cauſtica, ſi recenter calcinatae ſunt, laedit.

§. 1498.

§. 1498.

Praeſtantiorem effectum edunt ſalia antacida, alcalina fixa, ſal tartari, cineres clauellati, oleum tartari per deliquium et, quae terram magis alcalinam ſiſtit, magneſia nitri. Magis tamen blanda inueniuntur ſalia plantarum, Tacheniana dicta, non cryſtalliſatione, ſed inſpiſſatione praeparata, quae tamen omnia cum copioſo vehiculo aquoſo exhibenda ſunt, ne acrimonia ſua inteſtina laedant, et acida, in primis viis haerentia, magis commoueant. Aquae minerales, quae alcalino ſale ſcatent, et ob martis praeſentiam commendantur, ut egranae, cum fructu quoque adhibentur. Salia alcalina volatilia non quidem negligenda ſunt, minori tamen vi pollent, quam fixa, niſi forte acidum, ad ſecundas vias translatum, magis temperare videantur.

§. 1499.

Acido ſic inuerſo ac euacuato, victus ita ordinetur, ut alimentis, ex vegetabili regno petitis, quibus vix carere poſſumus, animalis, ſi fieri poteſt, iungatur. Iuſcula obuoluendo, ut olea et gelatinae, acidum corrigunt, et carnes animalium, quae vegetabilibus veſcuntur, ſimili modo agere videntur. Acidae vero acrimoniae potiſſimum contrariae ſunt carnes animalium ferorum et in primis eorum, quae inſecta deuorant, quippe quae in alcalinam indolem magis vergere videntur. Et oua, vario modo praeparata et cocta, in primis ratione vitelli, acidum temperant.

§. 1500.

Omnis acrimonia aquoſo potu diluitur, hinc et acida talem potum exigit. Cum vero acido ſcaten-

tia corpora ſimul laxa ſint, potus aquoſus, non niſi frigidiuſculus, minime vero calidus, his concedi poteſt. Aqua etiam pura et optima ſit. Ptiſanae enim, cum farinaceis vel radicibus reſoluentibus et ſubadſtringentibus coctae, vel infuſa aquoſa plantarum acidum fouent et augent. Quod ſi vero potui aquoſo aliquid addendum ſit, quod vires ventriculi ſuſtinet, nec aceſcit, cereuiſiae ſaturatae, lupulatae et bene fermentatae, et vina dulcia, meraca et ſuboleoſa, ut hungaricum et hiſpanicum, interdum hunc in ſcopum eligenda ſunt.

§. 1501.

Vegetabilia, in victu exhibenda, omnia aceſcunt, praeſertim ſi coquantur, ideoque in acida acrimonia noxia ſunt. Plantae etiam ipſae naſturtinae et alliaceae, quae acri quodam oleo ſcatent, et acidae acrimoniae contrariae eſſe videntur, in ſuccis, recenter expreſſis, acidi aliquid fouent. Amarae tamen plantae difficilius aceſcunt, et in primis illae, quae lacteſcentem et reſoluentem ſuccum ſimul continent, ut cichoreum cet. Oleoſa, ex vegetabili etiam regno deſumta, acidam acrimoniam inuoluunt, ſed facile ſolida relaxant; hinc ſapones in acido temperando magis conueniunt.

§. 1502.

Quae acrimonia quadam ſcatent corpora, ab initio, dum ea turgent, motu laeduntur, hinc et iis, in quibus acrimonia acida abundat, motus vehementior interdicendus eſt. Poſtquam vero acidum antea dictis remediis quodam modo ſuppreſſum atque mutatum fuit, tunc motu et exercitio corporis id, quod reliquum eſt, facilius ſubigitur. Qui acido

do victu ex vegetabilibus et lacte tantum veſcuntur, ii optima fruuntur ſanitate, et de acidi incommodis non conqueruntur, dummodo per vitam laborioſam in primis viis bene digeſtos humores in ſecundis viis mutant, et ad conſtantem in corpore nutritionem diſtribuunt.

# CAPVT VII.

## DE ALCALINO MORBOSO CORRIGENDO.

§. 1503.

Alcalinum putridum §. 948 in ſecundis viis praecipue genitum, nec non rancidum et bilioſum §. 949, in canali alimentorum potius inueniendum, acrimonia ſua quidem quodam modo conueniunt, attamen ex ſignis ſuis dignoſcuntur. §. 1197. 1198. Dictae hae acrimoniarum ſpecies, ex victu animali rancido potiſſimum, ſed et ex nimio corporis exercitio et circulatione humorum et per morbum aucta, originem trahunt, ideoque etiam in rigidioribus et ſiccioribus corporibus prae reliquis inueniuntur et euoluuntur.

§. 1504.

Non tantum ideo in cholericis et melancholicis, vehementioribus animi affectibus agitatis, tales acrimoniae naſcuntur, et ſui correctionem exigunt, ſed et in febribus acutis, ex ſaburra bilioſa et rancida, in primis viis collecta, ortis, nec non in inflammatoriis morbis, ubi vehemens humorum circulus

optimam lympham diſſipat, et cogit, quae deinde reſoluta alcalinam talem acrimoniam generat et euoluit, attendendae ſunt. Praecipue igitur reſpiciendum eſt, quo uſque vel acrimonia, in primis viis collecta, ad ſecundas deriuetur, vel quo modo illa in ſecundis tantum euoluatur.

§. 1505.

Quod ſi igitur in primis viis natam talem acrimoniam rancidam et bilioſam obſeruet medicus, tunc ſine mora illam, vel blando vomitorio ex ipecacuanha, vel oxymelle ſquillitico euacuet, vel ſic dictis antiphlogiſticis, mannatis, tamarindinatis et ſimilibus remediis per aluum ſubducat, ſtimulumque ex aliis lenioribus purgantibus v. c. rhabarbaro, ſenna, et ſale acido addat, prout in aegrotis diſpoſitionem ad haec ſuſcipienda cognouit; quibus omnibus tranſitus ulterior illius acrimoniae ad ſecundas vias cohibetur.

§. 1506.

Quod ſi vero primae viae, tali acrimonia non inquinatae, vel ab ea iam purgatae ſint, illa tamen in ſecundis viis deprehendatur: tunc potu aquoſo vel tenui fermentato, leuiter aceſcente v. c. cereuiſia ſecundaria humores diluantur et corrigantur. Conueniunt in primis ptiſanae, ex radicibus reſoluentibus et demulcentibus, ſcorzonerae, foeniculi cet. vel cum hordeo mundo et auena excorticata coctae, quibus et alia acida nunc laudata addi poſſunt; cerealia nimirum ſemina, decocta panis et ſimilia; quae, cum facile aceſcant, acrimoniis his cum fructu opponuntur.

§. 1507.

§. 1507.

Simili ratione et emulſiones ſeminum v. c. amygdalarum dulcium, ſeminum cardui mariae, nucleorum perſicorum cet. oleo ſuo acrida quaelibet inuoluunt, et cum facile aceſcant, acrimoniam alcalinam quoque temperant. Pulticulae, ex farinaceis coctae, ſimili modo inuoluendo acri inſeruiunt et aceſcunt. In his tamen omnibus eo reſpiciendum eſt, ne vel oleoſum iunctum acrimoniae rancidae occaſionem praebeat, vel glutinoſum nimis ponderoſum et ſpiſſum digeſtionis vias oneret et debilitet.

§. 1508.

His iungenda eſt diaeta lactea. Lac enim animalium, quae herbis veſcuntur, acido vegetabili ſcatet, et tum per ſe, vel, quod pars oleoſa et caſeoſa lactis nocere poſſet, in ſero ſuo, cum acidis facto, vel in lacte ebutyrato, optime acrimoniam omnem, rancidam, bilioſam et alcalinam, corrigit. Ipſum vero aquoſum lactis, quod in ſero eſt, et diluendo egregie conuenit, aeſtum quoque et ſitim temperat, quibus illi excruciantur, in quibus hae acrimoniae praedominantur.

§. 1509.

Nec acidum, fermentatione ſecunda paratum, ſcilicet acetum, omittendum eſt. Illud vel per ſe, in aqua dilutum, vel cum melle, in oxymelle ſic dicto exhibitum, prodeſt, et calidam primarum viarum acrimoniam obtundit. Cereuiſiae tenues, facile aceſcentes, et vina acida, ut rhenanum, hic quoque conueniunt. Acida mineralia omnia, vitriolicum, nitroſum et ſalis communis, nec non ſpiritus ſulphuris per campanam, qui acido vitriolico

F 5 ana-

analogus eſt, ſuo modo cum largo vehiculo adhiberi poſſunt. Quo in caſu tincturae florum v. c. aquilegiae, bellidis cet. quae cum phlegmate vitrioli fiunt, commendari quoque merentur.

§. 1510.

Acidum tartari, in cremore et cryſtallis cognitum, variis etiam remediis pharmaceuticis addi et pro eodem ſcopo adhiberi poteſt. Ex ſalibus vero mediis, in hunc uſum commendandis, prae reliquis nitrum laudari meretur, quippe quod aeſtum, ex acrimoniis noſtris oriundum, egregie compeſcit. Laudantur etiam terrae bolares, nobiliores, quibus quidem et acidum obuoluendi vim conceſſimus; §. 1496. forte tamen hic magis valent, quoniam acidum aliquod tectum habent, quod per hanc noſtram acrimoniam euoluitur, eamque mitigat.

§. 1511.

Omnia vero haec auxilia tum temporis potiſſimum profunt, quando aeger in aere frigidiuſculo verſatur, ne motus, ſanguinis et humorum iam concitati, calore externo magis exacerbentur. Hinc et quies corporis iisdem quam maxime neceſſaria eſt, ne ſolida per acrimoniam motam laedantur. Tandem et animi affectus vehementiores, qui hanc acrimoniam commouent et euoluunt, omni modo euitandi ſunt, quod in genere quidem, ſed et ſpeciatim ratione bilioſae acrimoniae, annotari meretur.

CAPVT

# CAPVT VIII.

## DE MOTV NIMIO SOLIDORVM ET FLVIDORVM COMPESCENDO.

§. 1512.

Motus ſanguinis et humorum eſt progreſſiuus §. 200 ſeqq. et inteſtinus §. 208. 209. Vterque a corde et arteriis continuatis ita efficitur, ut, pro ratione fluidorum mouendorum et ſolidorum reſiſtentium, actio cordis vario modo excitetur et intendatur. Actio cordis autem tunc demum validior redditur, quando cum copia ſanguinis et humorum, irritatio et inde ſpasmus minimorum vaſorum occurrit. In indicatione igitur formanda, vel fluidorum copia imminuenda, vel nimia ſolidorum reſiſtentia infringenda eſt, ſi motus exacerbatos, quos febrim concitare diximus §. 973. §. 1088. compeſcere ſuſcipimus.

§. 1513.

Ad fluidorum copiam imminuendam in hoc capite potiſſimum, nec ad indolem eorundem attendimus. Licet enim ſpaſmum, febrim concitantem, vel a lentore pituitoſo, vel ab obſtructione inflammatoria, vel ab acri irritante, deduxerimus, §. 1088. haec tamen ex aliis therapiae capitibus diiudicanda et curanda ſunt. De lentore enim humorum et pituitoſo et inflammatorio coagulo corrigendo, in intermittentibus et inflammatoriis febribus praecipue attendendo, in proximo capite non nulla propoſituri ſumus; acrimoniam vero, ad quam et in hoc capite ratione febrium continuarum reſpi-

-cimus,

cimus, et, quae in lentis, hecticis et cachecticis potiſſimum attendenda eſt, in cacochymia et acrimoniis corrigendis diſquiſiuimus.

§. 1514.

Dum vero motus ſanguinis et humorum ita tantum exacerbantur, ut aequabilis eorum per minima vaſa perſiſtat adhuc tranſitus, et mitior ſit febris: ſecretiones omnes et in primis cutanea liberae adhuc ſunt; humorum itaque copia facile diſſipari et aequilibrium cum ſolidis facile reſtitui poteſt. Quando vero auctior humorum motus per temperantia ſic dicta compeſcendus eſt, tunc terrea ſic dicta medicamenta minus valere videntur, ſed ſalia reſoluentia, ex quibus nitrum praecipuum eſt, et acida vegetabilia, cum diluentibus hauſta, praeſtantiora inueniuntur, quibus et lenia amara reſoluentia et diaphoretica iungi poſſunt.

§. 1515.

Quodſi vero motus iam adeo exacerbati ſint, ut in febre aucta circulus ſanguinis maiora vaſa nimium diſtendat, et minora comprimat, ideoque tranſitus ſanguinis et humorum per haec impediatur, tunc euacuatio ſanguinis per haemorrhagiam, quae interdum accedit, vel per venae ſectionem inſtituatur. Eo uſque autem copia ſanguinis imminuenda eſt, ut, poſtquam mouendorum moles non amplius morboſe reſiſtat, tranſitus per omnes corporis partes magis placidus et tranquillus fiat, ideoque humores iterum ad ſanitatis leges circumducantur, elaborentur et diſtribuantur, et illud acre, quod in humoribus forte ſubſiſtit, blande diſſipetur.

§. 1516,

§. 1516.

Ex his cognoſcitur, non omnem febrem venae ſectione compeſcendam eſſe, ſed dari quoque motus febriles, qui miaſma malignum v. c. catarrhale pituitoſum, a perſpiratione ſuppreſſa ortum, mouent, reſoluunt, et ad varia corporis colatoria, in primis ad cutaneum ducunt et diſſipant. Nec etiam venae ſectionibus febres ſupprimendas, ſed tantum coercendas eſſe facile perſpicimus, quoniam materia morbi, in auctiori motu euoluta et male mixta, per ſecretiones blandas non facile diſſipari poteſt, ſi ſanguinis maſſa, nimis imminuta, cordi non ſatis reſiſtit, et hoc ad motus proportionatos diſponit.

§. 1517.

Cor autem ad motus vehementiores et contractiones crebriores diſpoſitum fluida mouet, et, motu inteſtino excitato, mixtionem eorundem ita reſoluit, ut acria, expulſa blandiori lympha, magis euoluantur, a qua cauſa ſaepius ſtimulus pendet, qui in minimis ſolidis ſpaſmos et reſiſtentias excitat. Inde et eſt, quod in acri irritante et miaſmate ſic dicto maligno rationem motuum exacerbatorum in febribus acutis ponamus; qui, cum ab acrimonia mota pendeant, diluentibus, reſoluentibus, et, ſi fieri poteſt, acrimoniae contrariis medicamentis, ita moderandi ſunt, ut miaſmata ad colatoria corporis deriuari et inde expelli queant. §. 1514.

Cum multi morbi chronici ſine febre ſint, acrimonia, quae viſcido obuoluta eſt, febrim non excitare poſſe cognoſcimus.

§. 1518.

§. 1518.

Quod ſi vero materia morboſa acris, in ſanguine motus vehementiores excitare valeat, ob tenuitatem ad ſolida minima neruosque ipſos penetret, et in his ſpaſmos efficiat, tunc praeter blanda antiſpaſmodica, in primis caſtoreata, opium, et varia medicamenta compoſita, quae ab eo vires obtinent, exhibenda ſunt, quibus ſolis ſpaſmi mitigantur, et acria irritantia ut plurimum blando ſudore diſſipantur. Talia quidem etiam a non nullis, ſed praepoſtere, in eo morbi ſtatu exhibentur, ubi ſanguinis abundantia et eius dyſcraſia febrim excitat: Licet autem ea et hoc in caſu motus ſopiant, non raro tamen coctionem materiae morboſae et criſin impediunt, et ita morbos chronicos inducunt.

# CAPVT IX.

## DE MOTV IMMINVTO SOLIDORVM ET FLVIDORVM EXCITANDO.

§. 1519.

Motum fluidorum auctum, a reſiſtentia ſolidorum oriundum, interdum ad diſſipandam humorum acrimoniam et corrigendam eorum dyſcraſiam neceſſarium eſſe, ex praecedenti capite patet. Quod ſi igitur hi motus langueant, medici indicatio eo dirigenda eſt, ut eosdem excitet, ſcilicet, ut febrim vel praeſentem augeat, vel febriles motus producat. Attingitur vero haec indicatio mobilitate fluidorum reſtituta, et ſolidis ad maiores contractiones ſtimulatis, quibus cor ad velociores motus diſpo-

diſponitur, et fluida morboſa, auctiori circulatione inducta, mutantur et diſſipantur.

§. 1520.

Cum vero immobilitas humorum, vel a cauſa pituitoſa, vel inflammatoria pendeat, §. 975. in utroque caſu alia eligenda ſunt remedia. Si enim a viſcido, in primis et ſecundis viis nimis aucto, lentor humorum et frigus oriuntur, nec tanta vis ſolidorum eſt, ut febris excitari poſſit, reſoluendo fluida ſalinis, amaris et ſimilibus, ſolidaque roborando, tandem vires vitales ita concitantur, ut motus circulatorii intendantur. Medicamenta purgantia eaque non nunquam fortiora, quae copiam viſcidi euacuant ſuoque ſtimulo ſolidorum conſtrictionem iuuant, non nunquam febres imminutas ex voto quidem reſtituunt, ſumma tamen cautela opus eſt, ne impura corpora nimium commoueantur.

§. 1521.

Inflammatoriae autem ſpiſſitudini, quae ex pulſu duro, cum tarditate ſaepe coniuncto, potiſſimum cognoſcitur, ſimili modo ex parte ſolidorum et fluidorum ſuccurrendum eſt. Vti enim diluentia acidula et nitroſa ſpiſſitudinem reſoluunt, ſic venae ſectione copia euacuatur, quo vaſa nouum robur acquirant, et ſanguinem quaquauerſum diſtribuant. Licet enim videri poſſet, ac ſi partialis tantum inflammatio partialia remedia exigeret, tenendum tamen eſt, in ſtaſi partiali ſanguinem omnem ita mutari, ut is non tantum in parte inflammata haereat, ſed vehementi etiam particularum attritu et calore inde nato ita cogatur, ut in omnibus minimis arteriolis haerere poſſit.

§. 1522.

§. 1522.

A ſolidorum robore reſtituto cor ad viuidiores motus diſponi certum eſt: non tamen quaelibet roborantia externa et interna pro hoc ſcopo applicare poſſumus, niſi de mobilitate fluidorum reſtituta quodam modo certi ſimus. Ex analepticis igitur §. 1359 ſeqq. propoſitis, ea, quae conſtitutioni aegroti et humorum naturae conueniunt, eligenda ſunt. Scilicet in cauſa frigida calidiora aromatica, vinoſa, ſpirituoſa, alcalina volatilia, non prorſus improbanda, in calida vero, non niſi acida, nitroſa, blande refrigerantia, applicanda ſunt. Camphoram, ut penetrantiſſimum aromaticum et ſimul refrigerans et reſoluens medicamentum, in excitandis viribus et ipſa inflammatione auertenda vel diſſipanda, non nulli medicorum laudant.

§. 1523.

Haec analeptica cuncta in neruos agere, et minima ſolida ad validiores contractiones blande diſponere certum eſt. Idem vero praeſtare videntur rubefacientia et veſicatoria, quippe quae ſtimulo, in externis partibus concitato, motus neruorum prouocant, quo fluida, per alia remedia mobilia reddita, facilius concutiantur et promoueantur. Fluida ipſa, per haec medicamenta externe applicata, reſolui, diureſis aucta et non nunquam mictus cruentus, inde excitatus, teſtantur. Quoniam ſerum ſubducunt, vel ad definita loca deriuant, in defectu motus a cauſa frigida melius omnino, quam in illo a cauſa calida, agere videntur.

CAPVT

# CAPVT X.

## DE OBSTRVCTIONE VASORVM ET VISCERVM RESERANDA.

§. 1524.

Aequabili diſtributione ſanguinis et humorum per vaſa, viſcera et organa ſanitas abſoluitur; ſi vero cauitas canalium augetur §. 961. vel imminuitur §. 962, tunc humor traiiciendus ſtagnat, et ſpiſſior redditur, vel in minores canales immittitur, vel ad peregrina loca deducitur. Oriuntur hinc variae obſtructiones oedematoſae §. 979, inflammatoriae §. 975, ſcirrhoſae §. 977, quae quidem ex ſignis ſuis cognoſcendae §. 1208. 1209. et per indicationes varias, in capitibus praecedentibus propoſitas, inter ſe combinatas vel ſibi inuicem ſubordinatas, ad curationem diſponuntur.

§. 1525.

Cum autem pro varietate humorum ſtagnantium et partium, in quibus haerent, tanta ſit obſtructionum differentia, quae, niſi ad ſpecialius examen recedamus, ſatis definiri nequit: nos quidem ratione cauſae et pituitoſam et inflammatoriam obſtructionem conſiderabimus; cum perſuaſum nobis habeamus, ad hanc diſtinctionem in primis reſpiciendum eſſe medico, licet in iisdem diiudicandis conditionem et fabricam ſingulorum viſcerum negligere haud debeat.

§. 1526.

In quocunque tamen loco, vaſe, cauitate, aut viſcere obſtruens humor haereat, primo omnium

ad cauſam reſpiciendum eſt, num compreſſio vicinatum partium, an vero humor ipſe, an vaſa continentia obſtructioni anſam praebeant? Quodſi enim compreſſio partis vicinae cauſa ſit, tunc illa tantum remouenda eſt, quo facto ipſa obſtructio ceſſat: ſic oedemata crurum in grauidis non niſi poſt partum leuantur; ſic depreſſione caluae, cerebrum laedente, remota, actiones impeditae et circulus humorum iterum reſtituuntur.

§. 1527.

Obſtructiones pituitoſae humorum etiam tenacitatem praeſupponunt. Hinc primo lenta circulatio et infarctus in variis vaſis et in contextu celluloſo, intra vaſa poſito, raro vero vel nunquam plenaria oritur obſtructio, quoniam ſolidorum robur non concurrit. Reſoluentia igitur, cum diluentibus interne exhibita, omnem indolem humorum mutant, et tranſitum per quaelibet vaſa iuuant. Inter ea tamen impellendo hos humores, medicata et praecipue reſoluente vi praeditos, ad loca obſtructa et ſuperfluos humores, nunc reſolutos, euacuando, materia ſtagnans diſſipatur.

§. 1528.

Analeptica cuncta, quae ſtimulo blando, ſolidis impreſſo, motus non nihil augent, fluida celerius circumducunt, et in locis obſtructis ſimul mouent. Magis vero roborantia vim vaſorum intendunt, quae tamen maiorem mobilitatem fluidorum requirunt. Eodem vero tempore et pars obſtructa, ſi fieri poteſt, externe applicatis reſoluentibus medicamentis ita mutanda eſt, quo motus humorum, per corpus diſtributorum, ad partem obſtructam vehementius impel-

impellentes, materiam ad ſui reſolutionem et diſcuſſionem aptam inueniant. Iuuant hunc effectum frictio et exercitatio partis.

§. 1529.

Euacuatio humorum reſolutorum caute, nec medicamentis draſticis, inſtituenda eſt, ne tenues et ad obſtructionem reſoluendam neceſſarii una ſubducantur. Si enim talis inanitio in viſcere aliquo accidit, licet infarctus generalis quidem reſolutus ſit, in minimis tamen viſcerum partibus obſtructiones partiales ſaepe, nunquam poſt ea remouendae, remanent. Hinc etiam in analepticis et roborantibus exhibendis, motuque partium ſuadendo, et febre, per haec remedia non nunquam excitanda, caute verſetur medicus; facile enim et in cauſa pituitoſa ſubdole quaſi, accedentibus motibus inflammatoriis in parte affecta occaſio datur, et infarctus viſcerum in ſcirrhos partiales mutatur.

§. 1530.

Optime id declaratur exemplo pulmonum, in quibus pituitoſus infarctus aſthma generat, quod blanda reſolutione et tuſſi humida tollitur. Quando autem, quod interdum optimo cum ſucceſſu fieri ſolet, euacuatio ſudorifera, vel aluina ideo excitatur, ne omnis pituitae vis ad pulmones ruat, tunc ea, ſi in exceſſu peccauerit, ſubductis tenuibus humoribus, nodos in pulmonibus relinquit, qui, circulo ſanguinis in hoc viſcere celeriori reddito, partiales quasdam inflammationes in minimis pulmonum partibus excitant, et ita ex infarctu pituitoſo tumorem inflammatorium, in verum ſcirrhum degenerantem, producunt.

§. 1531.

Inflammatorii motus humorum valide auctum attritum et diatheſin phlogiſticam efficiunt. Quod ſi vero, aut obſtructio lente nata, inflammatoriis motibus anſam praebeat, aut hi ipſi ſanguinem cogant, impetus vehemens ſanguinis, a corde ad vaſa moti, venae ſectione optime coercetur, quae etiam pro ratione vehementiae iſtorum motuum continuanda et repetenda eſt. Caue tamen, ne omnes motus ſupprimas, et pauperiem ſanguinis inducendo, motus reſolutorios compeſcas, aut illos ſaepius repetitis et nimis parcis ſanguinis ſubductionibus confundas, ſi deſtructorios a reſolutoriis non ſatis diſtinguere poſſis.

Obſeruandum omnino eſt, de diſcuſſione inflammationis hic loci ſermonem eſſe, qualis nimirum ab eius ſaltim initio expectanda erit, ubi haec et ſequentia remedia magis prophylactice quam curatorie applicantur.

§. 1532.

Licet autem ſanguis eo gradu imminuatur, ut motus reſolutorii adhuc fieri queant, in parte tamen affecta ſaepius ſpaſmi relinquuntur, quibus humores denuo ibi coguntur: ſi vero excretio quaedam naturalis, quae humores ad alia loca ducit, v. c. blandus ſudor cum ipſis motibus accedit, reſolutio ex voto efficitur. Quodſi igitur humores per vim vitae ad alia loca non determinantur, interdum eos medicamentis aptis dirigere poſſumus. Acida et regimen aptum interdum diaphoreſin praeſtant et laxante paulo fortiore, antiphlogiſtico magis, quam draſtico reſinoſo, humores ad canalem alimentorum ducuntur et euacuantur. Noli tamen his con-

confidere auxiliis, ſine ſufficienti ſanguinis euacuatione.

§. 1533.

Sed turbulentis iſtis naturae motibus, qui ſpaſmos interdum uniuerſales vel certe ſaepius in parte affecta relinquunt, lenioribus anodynis ſuccurratur, quibus ſi compeſcantur et blanda perſpiratio inducatur. Licet vero his remediis infringi poſſint, ea tamen non prius applicanda ſunt, quam meabilitatem humorum reſtitutam eſſe cognoſcimus; nec tanta doſi exhibeantur, ut, inflammatoriis motibus ſuppreſſis, etiam reſolutorii, qui adhuc neceſſarii ſunt, ſupprimantur. Summa certe in his omnibus cautela opus eſt: inter motum enim nimium et ſuppreſſum difficile eſt medium inuenire reſolutorium, ſanitati conuenientem.

§. 1534.

Poſtquam vero motus paululum ſuppreſſi et mitiores redditi ſunt, reſolutioni inſiſtendum eſt; quae per diluentia, ſaponacea et acidula perficitur, quibus humores, a nimio attritu immutati, ad aequabilem craſin ſiue mixtionem reducuntur; corpus etiam lenioribus nutrientibus ex farinaceis, cum iuſculis tenuibus coctis, iterum reficiatur, quo nouorum humorum acceſſus percipiatur. Et ipſe motus humorum accedentium frictione et moderato corporis exercitio adiuuandus eſt, donec nullus amplius obſtructionis nouae generandae metus adſit.

§. 1535.

Inter ea vero, dum uniuerſali humorum ad inflammationem diſpoſitioni occurritur, partialia remedia, ſi locus iis datur, negligenda non ſunt. In

 prin-

principio enim et ubi infarctus adhuc inſignis eſt, epithemata vel cataplaſmata ex emollientibus, et haec quidem non nimis humida, et temperate calida applicanda ſunt §. 1434, 1435; cum enim rigida potiſſimum corpora inflammatione afficiantur, haec ipſa fibrarum conditio his tollitur, et in vaſis, non nihil relaxatis, humoribus impactis liberior tranſitus conciliatur.

§. 1536.

Noli vero his emollientibus et relaxantibus nimium inſiſtere, ne tumorem inflammatorium eo tempore ad ſuppurationem diſponas, quo eundem adhuc reſoluere intendis. Hinc primo emollientibus iungas amara diſcutientia §. 1456. quibus ſolis poſt ea inſiſtas, quo, circulo humorum liberiori reſtituto, et ipſa roborantia eligere §. 1448. et partes, poſt ſpaſmum ſedatum iterum facile relaxandas, denuo firmare poſſis, ne noui decubitus inflammatorii generentur, ſed aequalis humorum circulus perficiatur.

§. 1537.

Quodſi vero reſolutio, nec per interna, nec per externa remedia praeſtari poſſit, et partes affectae ad ſuppurationem vel ad gangraenam et ſphacelum diſponantur, vel in ſcirrhum mutentur, tunc in internis corporis viſceribus et organis triſtis partium deſtructio, vix compeſcenda, oritur; in externis vero aliqua ſpes ſalutis ſupereſt, ſi ea obſeruentur, quae ſuperius §. 1463. 1464. paullulum adumbrauimus, et quae in therapia ſpeciali clinica et chirurgica fuſius exponuntur.

CAPVT

# CAPVT XI.

## DE EVACVATIONE PRIMARVM VIARVM.

§. 1538.

Poſtquam itaque in praecedentibus capitibus indicationes curatorias, quae ſolida et fluida tum in ſe, tum in motu reciproco et tranſitu per vaſa mutant, explicauimus, tenendum omnino eſt, tantam ſaepius humorum copiam, vel eorundem corruptionem eſſe, quae mutari nequit, ſed euacuationem tantum exigit. Licet vero de his iam ſparſim in antecedentibus egerimus, non incongruum tamen eſt, de iisdem etiam ſpecialius exponere, ita, ut euacuationem ex primis et ſecundis viis diſtinctim conſideremus.

§. 1539.

Quando itaque canalem inteſtinorum a faucibus uſque ad anum reſpicimus, tunc ex indole ſaburrae et humorum corruptorum, nec non ex loco, ubi haerent, cognoſcitur, num eam per os eiicere, an vero ad inteſtina craſſa deriuare, et per anum educere poſſimus. De vomitoriis itaque et purgantibus ſigillatim agendum erit, ita, ut poſt indicantium rationem expoſitam, modum adhibendi illa indicata remedia perpendamus, et in cautelis additis contraindicantia, nec non modum iuuandi et compeſcendi euaeuationes proponamus.

# SECTIO I.

## DE EVACVATIONE PER VOMITORIA.

§. 1540.

Saburra humorum viſcida, acida, rancida et bilioſa, quae in ventriculo potiſſimum, interdum tamen et in confiniis faucium et in duodeno haeret, nec non alimentorum et potulentorum nimia moles, vix digerenda, et ad ulteriores in canali alimentorum ſubeundas mutationes inepta, vomitu reiiciatur §. 381. Hunc praeſtant omnia, quae ſtimulo, vel ingrata alia nauſeam producente affectione, neruos et fibras partium dictarum irritant, et ob inſignem paris octaui ſiue vagi cum toto ſyſtemate neruoſo nexum, totum quaſi corpus concutiunt, praecipue tamen motum periſtalticum inuerſum induunt.

§. 1541.

Saburram praeſentem et remouendam eſſe, ſenſus repletionis in ventriculo, conatus vomendi, nauſea et vomitus ſpontanei, ructus inanes et inſipidi, magis tamen nidoroſi et acidi, foetor oris et amarus aliusue nauſeoſus ſapor, viſcidae pituitae vel materiae rancidae aliuſue corruptae per vomitum, vel etiam per tuſſim vehementem, ex ipſo ventriculo oriundam, reiectio indicant. Venenum porro aſſumtum, vel alia acrimonia, ad primas vias delata, vel in iis nata, nimio impetu ad inteſtina ruens, ut in dyſenteria, vomitum et inducunt et vomitoria exigunt.

§. 1542.

§. 1542.

Quoniam vero vomitus vehementi motu concuſſorio perficitur, non tantum materia, ſub diaphragmate in viſceribus haerens et mouenda, ſed et alii motus, neruoſum ſyſtema excitantes eum quoque non nunquam indicant. Sic in infarctu abdominalium viſcerum, a mole materiae viſcidae et atrabilariae, eo deductae, oriundo; dum modo viſcerum fabrica ſatis valida nec corrupta ſit, concuſſio et inde pendens reſolutio cum fructu ſaepius perficitur. Saburra quoque pituitoſa, in pulmonibus haerens, vomitu mouetur, immo ipſa vomica inde rumpitur, vel, ſi iam iam rupta ſit, contenti puris excretio iuuatur. Seroſa tandem colluuies, ad cerebrum tendens, in apoplexia ſeroſa, vomitu excitato, agitatur et deriuatur; hoc ipſo quoque obſtructiones retinae in amauroſi non nunquam remouere intendimus. In omnibus tamen his violentioribus naturae motibus excitandis, ſumma cautela opus eſt, ne nimio impetu nobiliſſima organa ſuo modo iam laeſa prorſus deſtruantur.

§. 1543.

Si corpus vomitu commouendum plethoricum eſt, venae ſectio prius inſtituatur, ne ſanguis effero impetu ad pectus atque cerebrum protrudatur, eiusque vehemens euacuatio ſub ipſo vomitu producatur. Ipſa etiam materia viſcida, in ventriculo haerens, vomitu eiicienda, diluentibus et reſoluentibus ſalinis aliisque ita ante vomitorii uſum praeparanda eſt, quo eo felicius ſuccedat. Caue tamen, ne materiam morboſam, prima hac via euacuandam, reſoluentibus nimium agites, et ad canalem inteſtinorum ducas, ſed vomitorium iuſto tempore

exhibeas, quo aliena mox euacuentur, neque ulterius in corpore diſtribuantur.

§. 1544.

Ratione vero materiae, per vomitum educendae, ea potiſſimum attendenda eſt differentia, qua alia iners, et pondere vel tenacitate magis, quam acri ſtimulo, moleſta eſt, quae omnino acria et ſtimulantia vel vehementer nauſeoſa exigit remedia; alia vero natura ſua acris eſt, uti illa, quam excitant venena, vel cruda ingeſta alimenta, per corruptionem acria facta et ſpontanea acrimonia mutata, ideoque ſtimulo ſuo iam noxia, quippe quae non niſi lubricantia, diluentia et nauſeoſa exigit, ſtimulo vel nullo vel exiguo praedita.

§. 1545.

Stimulantium vomitoriorum magna eſt copia; plurima tamen ex iis, quum veneni indolem habeant, nunquam ferme danda ſunt, ut cataputiae et ricini ſemina, vel omnia medicamenta ex euphorbii genere producta, quae haud raro inflammante ſtimulo nocent. Ex vegetabili regno tutiſſimum et optimum eſt vomitorium radix ipecacuanhae ad ſcrupulum unum, drachmam ſemis et ultra in puluere exhibita, et ieiuno ventriculo ſine copioſo vehiculo ingeſta. Aſari et gratiolae decocta eidem quidem analoga, ſed non adeo certa ſunt. Reliqua minus uſitata omittimus.

§. 1546.

In infantibus doſi proportionata etiam ipecacuanha exhiberi poteſt; praeſtant tamen in his medicamenta, ex ſquilla parata. Ita oxymel ſquilliticum

um blandum medicamentum vomitorium, infan-
ibus etiam tenellis cum fructu exhibendum, ipſo
ceto ſquillitico, in maiori copia addito, acui poteſt.
'uluis etiam ſquillae, ad aliquot grana in adultis ex-
iberi poteſt, quippe qui non minus, quam alia
'omitoria, ſaburram viſcidam ventriculi diſſoluit et
eiicit, et potiſſimum viſcidam et porraceam inteſti-
ıi duodêni bilem mouet.

§. 1547.

Ex minerali regno antimonium, non quidem ex
ıaturali ſua mixtione, ſed ob regulinas partes, vel
nagis liberas, vel ob praeparationem cum acidis ve-
ıementiores redditas, effectum vomitorium edit.
Ex plurimis eius draſticis praeparatis, v. c. mercurio
ritae, vitro et hepate antimonii, pro hoc ſcopo eli-
gantur ſulphur antimonii auratum et tartarus emeti-
cus. In illo ſulphur antimonii aliquam reguli par-
tem, in hoc acidum tartari eandem hanc regulinam
partem quodam modo ſibi uniit. Vtriusque medi-
camenti vires ex praeparatione aeſtimandae, a grano
ıno ad alterum et ultra dari poſſunt. Cum autem
ıon ſemper in aquoſo vehiculo, ſed in bolis, pilulis
ıut pulueribus cum terreis medicamentis remixta
exhibeantur, in his exhibendi modis fluida in ſuffi-
cienti copia ſimul ingerenda ſunt.

§. 1548.

In plenitudine ventriculi nimia, pauca diluentia
cum frictione valida abdominis, ſpeciatim hypo-
chondriorum, quin et ſimplex tantum faucium ti-
tillatio, digito aut penna in os immiſſis, ſaburram
mouent et eiiciunt. Lac, oleoſa, pinguia, dulcia
hunc vomitum lubricando iuuant, et tunc temporis
copio-

copioſius ingerenda ſunt, quando acria, e. g. venena in ventriculum ingeſta fuerunt, quo eorum ſtimulus inuoluatur, eaque tunc magna copia vehiculi agitata et diluta eiiciantur. Vomituritio, per nauſeam et vertiginem a ſumma neruorum ſinſibilitate producta rarius his adiuuanda, ſed magis compeſcenda eſt.

§. 1549.

Licet vero vomitoria medicamenta, ſaburram ventriculi et duodeni euacuando, multos morbos in primo incremento ſupprimant, et radicitus ſaepe tollant, ob vehementes tamen motus, abinde oriundos, non ſemper tuto exhibentur. Qui ſtrumis laborant vel tonſillas induratas habent, vomitoria vix ferunt: in haemoptoicis etiam, vel qui olim vomitu cruento laborarunt, vix concedi poterunt, cum eruptiones ſanguineae etiam poſt venae ſectionem timendae ſint. Ob vehementem quoque abdominis agitationem in herniofis exhiberi nequeunt, niſi forte hernia optime repoſita et faſcia munita inueniatur. In grauidis et puerperis ſimili modo inter medicamenta minus tuta referuntur.

§. 1550.

Nec ſemper a vomitu ſpontaneo aut conatu vomendi ad indicationem vomitorii exhibendi certo ducimur. Laeſiones enim capitis grauiores, inflammatio ventriculi, calculus viarum urinariarum, colica haemorrhoidalis et ſpaſmodica, aliaque vitae incommoda vomitum ſaepe excitant, nullo tamen modo vomitorium exhibendum indicant, quoniam his in caſibus vomitus, ut ſymptoma morboſum, conſiderandus, et ideo magis coercendus, quam excitan-

citandus eſt. Imbecillitas ſola in infantibus et ſemellis non quidem contraindicat: niſi tamen in his vomitus unicum forte remedium ſit, quod grauioribus ex cauſis indicatur, leniora remedia ſemper praeferenda ſunt.

§. 1551.

Vomitum plenitudine ventriculi iuuare, et vomitorium medicamentum poſt aſſumta alimenta ingerere, minus conueniens eſſe videtur, quoniam materia peccans, praecipue viſcida, in plicis ventriculi haerens, ob alimentorum molem non ſatis euerritur. Quando vero vomitorium, cum pauco vehiculo ſumtum, ſaburram mouet, et conatus vomendi efficit, tunc aqua tepida inſulſa vel dulci mellita, butyro aut oleo ſuperaddito, viae lubricandae ſunt, quo ſpaſmus nimius, a vomitu oriundus, coerceatur. Largior vehiculi copia, cum vomitorio hauſta, aut nimis cito operatur, et medicamentum ſine effectu reiicit, aut illud nimis cito ad inteſtina propellit et purgantem effectum tantum inducit.

§. 1552.

Vomitus nimius diluentibus blandis, oleoſis, compeſcitur, dum et acria inuoluuntur et expelluntur, et ſpaſtica fibrarum contractio mitigatur. Quodſi vero ſpaſmus his ipſis coerceri non poſſit, praeter roborantia vinoſa, analeptica, opiata quoque remedia, quae illos compeſcunt, propinanda ſunt; caue tamen, ne his utaris, quando ſaburra adhuc ſubducenda eſt. Ventriculi robur, per vomitoria debilitatum, cardiaca, aromatica et blanda carminatiua v. c. decoctum chamomillae, nec non roborantia leniora reſtituunt. Spirituoſa fibras magis

giſ exſiccant, quam roborant. Hoc in caſu etiam aromatica et opiata, externe applicata, conueniunt, ut ſcuta ſtomachica ex theriaca parata.

# SECTIO II.
## DE EVACVATIONE PER PVRGANTIA.

§. 1553.

Vti in praecedentibus euacuationem per ſuperiora ex ventriculo eiusque confiniis declarauimus, ſic nunc modum euacuandi per inferiora, ſcilicet per purgantia, diſquirimus. Haec euacuatio totum inteſtinorum canalem concernit, et vere purgantia medicamenta dicuntur ea, quae ore aſſumta, in ventriculo et inteſtinis haerentem, ſaburram mouent et ad anum propellunt. Clyſmata ſunt iniectiones in anum, quae canalem inteſtinorum craſſorum euacuant; Suppoſitoria denique, orificium inteſtini recti ſtimulando, ſcybalorum ibidem haerentium expulſionem adiuuant.

Dantur non nulla medicamenta, quae, umbilico aliisque partibus applicata, aluum mouent: cum tamen partim minus uſitata, partim incerta ſint, illa non tangimus.

§. 1554.

Licet autem euacuantibus his medicamentis reliquiae alimentorum, corruptae ſaepius magis, quam digeſtae, et acrimoniae, in canali alimentorum natae, potiſſimum educantur; tamen et ſerum ſaliuale, pancreaticum et inteſtinale, nec non alibi in corpore abundans, in primis morboſum et acre ad

haec

haec loca deriuatur, bilis abundans et acris reddita euacuatur, pituita viſcida inteſtinorum abſtergitur, ideoque ſimul in humores totius corporis agitur. Hinc materia atrabilaria viſcerum, huc deriuata, ſanguis haemorrhoidalis ſtagnans et corruptus, pus ex abſceſſibus ibidem natis erumpens, ichoroſa colluuies, vermes, aliaque morboſa corpora, ſtimulo inteſtinis impreſſo, promouentur et expelluntur.

§. 1555.

Ex his itaque euacuationem aluinam indicantia potiſſimum colliguntur. Ponderis ſenſus in abdomine a ſaburra, in primis viis collecta, flatus et ructus, hypochondriorum tenſio, aluus ſicca, parcior, moleſte excernenda, aut quoque lubrica nimis, non raro bilioſo ſtimulo, vel ſero huc delato, excitata, cum teneſmis et borborygmis, materiam ad euacuandum aptam adeſſe ſatis teſtantur.

§. 1556.

Non tantum vero in morbis epidemicis acutis diarrhoea, ſaepius ſponte oborta, euacuationem hanc adiuuandam eſſe ſuadet; ſed abundantia quaelibet humorum ad caput, pectus et loca externa corporis propulſa, deriuationem ſuperflui ad uniuerſalem hanc corporis cloacam indicare videtur, v. c. in morbis ſeroſis capitis, in aſthmate pituitoſo, in ſuppuratione nimia temperanda, in hydrope et ſic porro; quam reuulſoriam atque deriuatoriam euacuationem, a ſolis naturae conatibus ſaepe praeſtitam, ars caute imitatur.

§. 1557.

Licet vero indicatio, de aluina euacuatione inſtituenda, ex praecedentibus ſtabilita fuerit, ratio tamen

tamen eam efficiendi non ſemper patet, niſi et contraindicantia et ſelectus optimorum remediorum attendantur. Ita vero haec bina coniuncta ſunt, ut, quibus remediis euacuandum ſit, primo diſquiratur ante, quam contraindicantia per coindicantia limitentur et ita concluſio, quid, et quibus remediis euacuari debeat, efficiatur. Nos quidem varia purgantium genera conſiderando, cautelas circa eorundem uſum ſubiungemus, quo contraindicantia ex iis diiudicari queant.

§. 1558.

Tanta autem eſt medicamentorum purgantium copia, eorumque actionis differentia, ut ex plurimis pauca tantum et uſitatiſſima ſeligere, eaque in claſſes quasdam diſponere teneamur, ſi hanc doctrinam compendiaria tractatione proponere velimus. Conſideremus itaque: 1) digeſtiua ſalia; 2) lubricantia plus minus ſtimulantia; 3) ſtimulantia ſpecifica; 4) acria draſtica, et in qualibet claſſe affectiones praecipuorum purgantium examinemus, quo indicationis ſpecialis et indiuidualis ratio inde pateſcat.

§. 1559.

Salia ideo digeſtiua dicuntur, quoniam viſcidam pituitam et ſaburram in primis viis reſoluunt, et ad euacuationem diſponunt; hinc eorum mentionem iam inter reſoluentia iniecimus, §. 1477. ſeqq. et ſimul monuimus, eadem pro diuerſa ſua indole et natura variis acrimoniis apte opponi poſſe. Purgantia vero tunc demum dicuntur ſalia, quando in maiori copia exhibentur. Licet enim in diſpoſitis una alteraque drachma aluum copioſe moueat, in

aliis

aliis tamen ad unciam et ultra adſcendere conuenit, ſi aluum ſubducere intendimus.

§. 1560.

Ex ſalibus mediis aqua Seydſchützenſis et Sedlitzenſis et ſal amarum inde eductum, ſal anglicum catharticum, ſal mirabile GLAVBERI, ſal de SEIGNETTE, tartarus vitriolatus, tartarus tartariſatus, liquor terrae foliatae tartari, ex alcalinis fixis magneſia nitri, et ſal Tachenianum potiſſimum commendari merentur; reliqua enim ſalia alcalina, ut ſal tartari et oleum tartari per deliquium ob acrimoniam inſignem nociua deprehenduntur, ſi tanta copia adhibeantur, ut aluum moueant.

§. 1561.

In ſiccitate alui ſalia media optimum auxilium praeſtant, et pituitam viſcidam potenter reſoluunt et euacuant, copioſo tamen indigent vehiculo aquoſo, licet et praeter ea ſtimulo ſuo ſerum potenter adliciant et ſubducant. In acrimonia rancida et linioſa cremor tartari optime conuenit, in acida vero ſalia alcalina ſeligenda, vel, cum ea ſola data nimis acria eſſe deprehendantur, prioribus tantum addenda ſunt.

Licet ſalia ſiccitati alui medeantur, in iis tamen exhibendis ſumma cautela opus eſt, ne nimius eorum uſus ſiccitatem uniuerſalem corporis inducat.

§. 1562.

Salia vero cuncta, extractis amaris vix exceptis, diuturno uſu ſolidas inteſtinorum fibras quam maxime relaxant, et debilitatem primarum viarum inducunt. Hoc incommodum metuendum non eſt ab

aquis medicatis, quae cum ſale quodam alcalino fixo, vel ſali mirabili GLAVBERI ſimillimo, particulas martiales ſeu vitriolum martis obtinent: hinc acidulae Egranae et Pyrmontanae, nec non thermae Carolinae inſigni efficacia excellunt, et, ſaburram primarum viarum pituitoſam euacuando, robur inteſtinorum conſeruant et augent.

§. 1563.

Inter lubricantia medicamenta plantae, quae emolliunt, v. c. maluaceae, optime referri poſſunt, magis tamen olea preſſa, lac et butyrum, nec non pinguedines animalium pro hoc ſcopo commendantur. Hinc oleum amygdalarum dulcium lubricat et emollit, et emulſiones ex amygdalis ipſis, nec non ex aliis ſeminibus paratae, ſimilem effectum edere videntur. Lac vaccinum, caprillum et aſininum, tepidum, nec non iuſcula carnium iuniorum animalium ſimiles vires exſerunt, licet inter vera purgantia, cum ſtimulo careant, non recenſeri queant.

§. 1564.

Sero, ex lacte parato, ſtimulus aliquis ineſt: inde lac ebutyratum, vel ſerum lactis, cum acido citri vel cremore tartari factum, in billioſis morbis, in primis copioſius hauſtum, acrimoniam rancidam corrigit, et aluum ſaepe ſatis valenter ſubducit. Serum vero lactis acidum, cum antacidis terreis iterum dulce redditum, aut ad mentem HOFFMANNI inſpiſſatione iterumque facta ſolutione praeparatum, tenue nutriens et lubricans tantum continet principium, et ita in uſu ſuo ad lactis ipſius indolem iterum recedere videtur.

§. 1565.

§. 1565.

Et ſaccharum et mel reliquaque dulcia inter lubricantia et leniter ſtimulantia referri merentur. Aqua mellis ſiue mulſa, copioſius ingeſta, ſiccitati inteſtinorum medetur et ſegnitiem alui corrigit, nauſeoſum tamen eſt, et rarius tanta copia bibitur, ut aluum ſatis ſubducat. Decoctum paſſularum et maiorum et minorum, imo uuae paſſae ipſae, ficus et dactyli ſimili ratione dulcedine ſua et blando ſtimulo, aluum interdum mouent. His non nulli fructus horaei dulces ex noſtris ſubiungi poſſunt, ut pruna et poma borsdorfiana.

§. 1566.

In leguminibus tamarindorum et caſſiae contenta pulpa, etiam acido, in priori magis conſpicuo, et lubricante ſucco ſcatens, alui excretionem iuuat. Conueniunt haec bilioſis potiſſimum hominibus, et in febribus acutis, et ſiccitate aluina inde oriunda, praeſtantiſſima auxilia ſunt. Doſis vero ſit uncia ſemis et ultra, repetita quoque vice danda. Laeduntur tamen his medicamentis illi, in quorum primis viis acida acrimonia abundat.

§. 1567.

Ex arborum ſuccis, plus minus inſpiſſatis, ad aluum mouendam interdum aptis, manna et terebinthina in primis commemorari merentur. Manna quidem emolliendo, lubricando et leniter ſtimulando in iis, qui ſiccitate alui laborant, optimo cum ſucceſſu applicatur, et mite ſatis, infantibus quoque conueniens, eſt medicamentum, quando vel cum iuſculo, vel cum ſero lactis, alioue cum liquido aquoſo ſoluitur. Terebinthina potius reſoluen-

do in viſcidum agit, et interdum, ſi cum vitello ouorum tritum, in aqua ſoluitur, aluum quoque mouet. Gummi ammoniacum et galbanum, in pilulis exhibita, ſimili interdum virtute pollent.

§. 1568.

In ſtimulantibus ſpecificis ad aloen et rhabarbarum potiſſimum reſpiciendum eſt. Aloe in primis, aqua ſoluta et depurata, ob partem gummoſam, prodeſt; pars enim reſinoſa nimis exſiccans eſt. In pilulis optime exhibetur, et gummatibus praecipue iuncta egregium uſum praeſtat. Cum vero canalem inteſtinorum exſiccet, et ipſum ſanguinis motum cieat atque calorem excitet, pituitoſis praecipue propinatur, in quibus reſoluendi et roborandi vim exhibet. In diſpoſitis haemorrhoides non raro prouocat, alios ad easdem diſponit, ſed nimio uſu, inteſtinum rectum exſiccando, easdem morboſas reddit.

§. 1569.

Rhabarbarum optimum leni ſtimulo aluum mouet, ſed ſimul laxa inteſtina roborat, et ita ſtomachica vi pollet, bilis acrimoniam corrigit et ſubducit. In puluere optime datur, in primis ſi ſalibus, acrimoniae morboſae optime accommodatis, aliquo modo corrigitur, ne tantam in inteſtinis ſiccitatem inducat, quam ob cauſam etiam lubricantibus iungitur. Infuſa aquoſa et ſolutiones ſimiles in diarrhoeis et dyſenteriis conueniunt, toſtum vero rhabarbarum ad adſtringentia medicamenta magis referri meretur.

§. 1570.

§. 1570.

Fortius, quam nunc recenſita, operari videntur infuſa florum perſicorum et florum acaciae ſiue pruneoli, quae cum lacte aliisque menſtruis fieri, vel in ſyrupis inde factis exhiberi poſſunt. Folia ſennae magis in uſu ſunt, et variis medicamentis mitioribus ſalinis, lubricantibus et rhabarbaro ipſo, ſtimuli loco apte adduntur, magis tamen leniter decocta et infuſa adhibentur, quam eorum puluis. Licet vero interdum ſatis vehementer et ex indole reſinoſae partis agant, tamen vere draſtica nunquam dici poſſunt.

§. 1571.

Ad draſtica potius referuntur, quae reſinoſo et acri ſtimulo inteſtina vellicant, ſimulque magnam humorum copiam euacuant. Radix ialappae, in puluere data, ob accedentes particulas gummoſas mitius agit; reſina inde educta aluum fortius mouet, eodem ferme modo, ut reſina ſcammonei, quae in diagrydio ſulphurato, inde parato, miteſcere videtur. Reſinae cum vitello ouorum vel amygdalis tritae et aqua ſolutae, partiori doſi exhibendae ſunt, et mitius agunt. His annumerari poſſunt agaricus trochiſcatus, et trochiſci alhandal ſiue pulpa colocynthidis, quae forti ſtimulo, in doſi diuerſis ſubiectis conueniente, aquam et pituitam potenter ſubducunt, et robuſtos valde mouent.

§. 1572.

Reliqua medicamenta, ex euphorbii genere petita, ut ſuccus eſulae, ſemen cataputiae, cet. inflammante ſtimulo ſaepe nocent, et rarius adhibentur. Si forte ad pituitam et aquas hydropicorum ſubducendas praecedentia §. 1571. non ſufficiunt, elate-

rium ſiue cucumeris aſinini extractum, vel ſuccus iridis noſtratis, recenter expreſſus, valere, et doſi repetita exhiberi poteſt. Inter draſtica quoque refertur gratiolae herba, quae nobis indigena eſt, cuius infuſum vomitum non raro mouet. §. 1545.

## §. 1573.

Ex mineralibus mercurius dulcis aliis medicinis purgantibus, in primis aloeticis §. 1568. additus, et viſcida egregie ſubducit, et non raro vim purgantem auget. Reliqua medicamenta mercurialia, cum ſalibus parata, doſi parca adhibenda et, ut aurum fulminans, dubiae ſaepius virtutis ſunt; ſi enim acidum copioſius adhaeret, iuſto fortius agunt, ſi vero illud lauando et edulcorando prorſus inde tollitur, tunc ſaepius nihil praeſtant.

## §. 1574.

Cuncta haec purgantia ad indicationem ſpecialem, in aegris ſingulis obſeruatam, ita diſponantur, ut in aliis dura et copioſa ſcybala, et omnia, quae ad canalem alimentorum deferri poſſunt, euacuare, in aliis viſcidam pituitam ſubducere, in aliis bilem abſtergere, in aliis aquas educere intendamus, quo reſpectu purgantia, vel panchymagoga, vel phlegmagoga, vel cholagoga, vel hydragoga dicuntur. Quae tamen differentia non tantum ex indole medicamenti, ſed etiam ex diſpoſitione aegroti, diiudicanda eſt. Purgantia vero per epicraſin dicuntur, quae propter admiſta ſimul remedia alterantia ipſam humorum dyſcraſiam corrigunt, et cum partitis vicibus exhibeantur, aluum leniter ſubducunt, et humores corporis morboſos per hanc uniuerſalem corporis cloacam expellunt.

§. 1575.

§. 1575.

Vti enim ſaburram copioſam, in primis viis haerentem, ſaepius valido purgante educimus, ſic in aliis, ubi humores nondum mobiles ſunt, per reſoluentia ſalina, amara et gummi ſaponacea §. 1477. ſeqq. praeparatio fieri ſolet. Et haec reſoluentia medicamenta pro ratione diſpoſitionis aegri, vel cum purgantibus miſceri, vel iis praemitti poſſunt. Ne vero euacuatio tonum viſcerum et inteſtinorum nimium debilitet, analeptica, antiſpaſmodica, carminatiua, quae ex calidis aromaticis et roborantibus petuntur, ſimul addantur.

§. 1576.

Euacuatio aluina iuuatur potu copioſo aquae, ſeri lactis, iuſculi, quibus vis nimia draſticorum ſaepe ex voto temperatur. Quem ad modum vero hanc euacuationem iuuant, ſic apte exhibita nimiam quoque cohibent, praeſertim ſi acrimoniae peccanti accommodentur, v. c. in acrimonia rancida acidulus potus largius propinetur. Si vero canalis alimentorum ſpaſmo grauiori ſimul afficitur, tunc vel opiata medicamentis purgantibus iunguntur, vel eadem poſt purgantia exhibita propinantur, ut praeter ſpaſmi ſedationem, humores, nimium ad inteſtina deducti, iterum ad corporis ſuperficiem reuocentur.

§. 1577.

Ex iis vero, quae hactenus propoſuimus, etiam clyſmatum ratio intelligi poteſt. Licet enim ea interdum pro ſcopo nutriente et antiſpaſmodico, nec non roborante et carminatiuo exhibeantur: ſaepiſſime tamen ad euacuationem, ex craſſis inteſtinis

praeſtandam, adhibentur, ſed ita ut humectando ſiccitatem corrigant, acria abſtergant, et ſcybala nimis dura et tenacia emolliant et educant. Haec vero aluum euacuandi ratio, neceſſitate urgente, et in debilitate aegrorum, reliquis praeferri meretur, quoniam vires minus, quam reliqua purgantia, infringunt, ſed blande tantum ſubducunt, et interdum etiam tenuia inteſtina, obice in craſſis remoto, purgant.

§. 1578.

Clyſmata vero haec ex aqua tepida, urina ſanorum et iuniorum animalium, lacte, ſero lactis, iuſculis et oleis preſſis praeparantur, alio vero tempore herbae emollientes §. 1434 reſoluentes §. 1480. et carminatiuae §. 1362. in aqua vel iuſculo coquuntur, et ſtimulans ſalinum additur, vel melle et terebinthina admiſtis, vis reſoluens augetur. Vti vero ad vehementiorem ſtimulum excitandum varia medicamenta purgantia adduntur, vel herbae nicotianae fumus in inteſtina immittitur; ſic et alia medicamenta ſaepius per clyſmata ad canalem inteſtinorum applicantur, egregiosque effectus praeſtant.

§. 1579.

Suppoſitoria tandem tunc temporis indicantur, quando inteſtinum rectum, ſcybalis repletum, eadem vi ſua expellere nequit, ſed ſtimulo iniecto ad vim contractilem augendam opus habet. Hinc globuli moſchati, vel alia ex ſaccharo parata medicamenta, ſapo, mel, et terebinthina, cum purgantibus in paſtam paulo ſolidiorem redacta, in anum immittuntur. Olei parca portio, in anum iniecta,

vel

vel vapores, ex emollientibus herbis ad anum admiſſi, lubricando ſaepius excretionem aluinam iuuant. Suppoſitoria, crebrius applicata, ſtimulo ſuo orificium inteſtini recti rigidum reddunt atque calloſum.

# CAPVT XII.
## DE EVACVATIONIBVS SEROSIS.

### §. 1580.

Nimia ſeri copia vel ſanguini admiſta, vel in vaſis ſeroſis lente mota et ſtagnans, ſpontaneo ſaepius naturae motu per varia corporis colatoria expellitur, quo in caſu medicus vel regimine apto excretiones has moderatur, vel conuenientia quoque medicamenta addit, quibus ſeri excretio adiuuatur. Non tantum vero ipſa ſeri copia, ſed ſub hoc vehiculo quoque partes morboſae et noxiae euacuantur, idque vel cum leuamine, vel cum detrimento aegri, quando nimirum euacuationes nimis profuſae cum particulis noxiis etiam laudabilium humorum copiam expellunt. Haec cuncta quidem ex indole morborum et diſpoſitione aegrorum cognoſcenda ſunt, nos vero generalem tantum indicationum rationem proſequimur.

### §. 1581.

Per vomitum etiam et magis adhuc per purgationem aluinam interdum quidem ſerum copioſum ſubducitur, nos vero in ſequentibus ſectionibus euacuationem per poros cutaneos in ſudoriferis, per

renes in diureticis, per ſaliuae vias in ſialagogis, per tunicam pituitariam in ſternutatoriis, et ex ipſo cutaneo habitu in veſicatoriis ſic dictis medicamentis conſideramus, quoniam in his praecipue euacuationibus conſuetas naturae et artis vias in ſero nimio expellendo deprehendimus.

## SECTIO I.
## DE SVDORIFERIS.

### §. 1582.

In ſano hominis ſtatu excretio ſeri per poros cutaneos maxima eſt. § 464. Euacuatio ſeri, quae conuenientem cutis humiditatem conſeruat, et perſpirationi naturali ſimillima eſt, vel eandem parum auctam ſiſtit, diaphoreſis dicitur, quae vero, ſi ita intenditur, ut ſerum in fluidum denſum ſeu guttulas cogatur, ſudor appellatur. §. 465. Ex his diaphoreticorum et ſudoriferorum medicamentorum gradualis differentia cognoſcitur. Sudor etiam praeter copiam ſeri unguinis cutanei aliquam partem ſimul ſubducit.

### §. 1583.

Diaphoreſin itaque et ſudorem excitare, eſt habitum cutaneum ita diſponere, ut per minima cutis orificia materia ſeri, copioſius eo deducta, facile tranſire queat; et porro medicamentis, ſanguinis maſſam exagitantibus et reſoluentibus, materiam ſudori aptam extricare et propellere. Prius a regimine externo, hoc eſt, ab aere aliisque applicatis externis calidis et humidis, cutem relaxantibus et munditiem ei conciliantibus praeſtatur; poſterius

a mo-

a motu fluidorum circulatorio, variis modis aucto, dependet.

§. 1584.

Hanc ipſam vero ſe-et excretionem intendendam eſſe, ipſi naturae motus ſpontanei interdum ſuadent: v. c. ubi in catarrhalibus affectibus, a perſpiratione ſuppreſſa oriundis, ſudor iterum expulſus, tenſiones et dolores partium aliaque incommoda leuat. Magis vero conuincimur, hanc excretionem adiuuandam eſſe, ſi poſt cruditatem et coctionem ſub criticis motibus largior ſudor per ſuperficiem corporis erumpit, et cum leuamine, hoc eſt, cum decremento ſymptomatum morboſorum continuat; quo in caſu et peregrinus ſaepius odor, aegrotis et adſtantibus moleſtus, materiam morbi cum ſudore diſſipari docet.

§. 1585.

Quando particulae venenatae, limites canalis alimentorum transgreſſae, vomitoriis et purgantibus expelli nequeunt, tunc, ut nociuae corpori, per ſudorifera, quantum fieri poteſt, expellendae ſunt. Licet enim ſummus calor, fluida diſſipando, minimas ſanguinis particulas acres reddat, vehementi tamen motu et acre iſtud ſubtile, neruis ſaepe magis, quam aliis ſolidis, moleſtum, ſudore diſſipatur, ut in peſte aliisque morbis contagioſis non nunquam obſeruatur. Acris etiam materia mota et ad cutem ducta, in hoc colatorio ſuſtinenda eſt, in primis, ſi reſoluta has vias petat, ut in ſcabie et lue venerea.

§. 1586.

Notum quoque eſt, homines quosdam, a natura in ſudores procliues, iis leuari, et, his per interual-

terualla recurrentibus, integra valetudine frui: ipſa tamen ſubiecta attendenda ſunt, quando medicus conſuetas has naturae vias arte adiuuare intendit. Obeſi enim et pituitoſi, qui ſuccis abundant, diutius ferunt ſudorem, quam macilenti. In his praecipue maciem et tabem, in illis quoque cacochymiam ſudores frequentes inducere, certiſſima res eſt. Sudores etiam, licet ad tempus morbum leuare videantur, ſaepe tamen vires deſtruunt.

§. 1587.

Quando vero indicatio ſudorifera apta et ſalutaris inuenta fuit, tunc non quodlibet medicamentum, eo effectu conſpicuum, eligendum, ſed indicata caute diſtinguenda ſunt. Vbi itaque regimine apto et potu diluente calido euacuatio excitari et continuari poteſt, ibi ad fortiora remedia, ſanguinis mixtionem turbantia, non eſt progrediendum; ubi vero medicamenta requiruntur, tunc vel acida, vel alcalina volatilia, vel calida aromatica eligenda ſunt, de quibus nunc ſigillatim agendum et diaphoreſis, per temperantia terrea excitanda, paululum diſquirenda eſt.

§. 1588.

Acidi et natiui vegetabilium ſucci, acetum fermentatione ſecunda productum atque depuratum, et mineralia acida, vel ut analeptica §. 1365. 1366. vel ut roborantia §. 1448. 1449. ſaepius diaphoreticum effectum producunt, et in morbis putridis, ubi nimia calefacientia aliena ſunt, acrimoniam infringunt et aeſtum temperant, ideoque blando humorum circulo inducto, ſaepius perſpirationem et ſudorem ex voto iuuant. Nec acida mineralia, alcohole

vini,

vini, ut dicunt, dulcificata, hoc in caſu contemnenda ſunt; magis enim analeptica, quam calida, deprehenduntur, in primis ſi parca et repetita doſi exhibeantur.

§. 1589.

Alcalina volatilia magis actuoſa ſunt, nec tantum, ut analeptica §. 1367. vires vitae excitando, diaphoreſin augent, ſed ob calidam ſuam indolem, maſſam ſanguinis commouent, reſoluunt et ita largiſſimos ſaepius ſudores prouocant. Spiritus igitur et oleum cornu cerui et ſimilia, ex regno animali praeparata, non niſi pituitoſis exhibenda ſunt, quorum humores difficilius in motus concitantur, et in quibus magna vehiculi aquoſi per perſpirationem auctam eliminandi, copia adeſt. Mixtura ſimplex et liquor cornu cerui ſuccinatus, ut volatilia neutra, hoc in caſu temperatiora ſunt medicamenta.

§. 1590.

Omnes plantae, in quibus praeter amaram vel leniter roborantem indolem, ex terreis particulis pendentem, oleum volatile, deſtillatione eliciendum, deprehenditur, ſanguinis maſſam commouere et praecipue in infuſis calidis exhibitae perſpirationem intendere valent. Ex plurimis, hic commemorandis, agrimoniam, betonicam, ſcordium, ſaluiam et veronicam, et ex lignis guaiacum proponamus, quibus ex materia medica plurima alia addi poſſunt. Infuſa haec aquoſa in catarrhalibus aliisque morbis, ad ſudorem incipientem ſuſtinendum, aptiſſima ſunt.

§. 1591.

§. 1591.

Efficaciora ſunt infuſa ſpirituoſa ſiue eſſentiae ſic dictae plantarum v. c. ſcordii, quae, ſi angelicae, imperatoriae, pimpinellae ſimilesque radices, ut in eſſentia alexipharmaca STAHLII, adduntur, magis calidae fiunt; virtus enim, ex volatili oleoſarum plantarum indole iam ſatis conſpicua, ſpirituoſo menſtruo magis exaltatur. Hinc eſſentiae illae vel in ſe, vel in mixturis concentratis, in parciori doſi ad guttas circiter viginti vel triginta datae, ſudorem imminentem ſuſtinent, vel maiori doſi, ad centum uſque guttas exhibitae, largius eundem prouocant. Plurima huc referenda §. 1362 ad calida analeptica retulimus.

§. 1592.

Ex pulueribus plantarum, ſale volatili oleoſo praeditarum, compoſitiones ſic dictae theriacales, ſiue electuaria praeparantur, quibus egregia vis diaphoretica adſcribitur: in his tamen ad opii doſin additam reſpiciendum eſt; huius enim vis antiſpaſmodica et narcotica ſpaſmum fibrarum, in vaſis minimis perſpirationem et ſudorem ſaepius cohibentem, ſoluit, et excretionem cutaneam largiſſimam reddit. Ex ampliſſimis his medicamentorum compoſitionibus et theriacam coeleſtem, et diaſcordium FRACASTORII adducere ſufficiat.

§. 1593.

Terreis quoque medicamentis vis diaphoretica adſcribitur, eaque tum temporis cum fructu applicari dicuntur, ſi maſſa ſanguinis, motu nimio agitata, ad blandiorem circulationem reducenda, et ita temperanda eſt. Dubia omnino eorundem virtus

tus eſſe iudicatur, cum moleculae terreſtres, ſi ſanguinis etiam globulis admiſcerentur, eorum celeriorem progreſſum et attritum vix coercere poſſent. Si aliquid virtutis his concedenda eſt, terrae bolares et nobiles margae, in primis martiales, reliquis praeferri merentur. Nitrum inter ſalia media praecipue hac virtute praeditum eſt, et antiphlogiſticam indeque diaphoreticam vim indirecte quidem obtinet.

§. 1594.

Ex his etiam patere arbitror, quid de terris, ex animali regno petitis v. c. de lapide bezoar et aliis ſentiendum ſit? et num antimonium diaphoreticum ſimiliaque ex metallis parata, bezoardica vulgo dicta medicamenta, ex ſubtili terrae metallicae ſolutione aliquam vim diaphoreticam exercere poſſint? Terreſtres enim particulae, per ſe inertes viſae, niſi a ſalibus adhaerentibus aliquam virtutem nanciſcantur, humorum maſſam vix agitare, reſoluere et ad peripheriam corporis determinare poterunt. Cauendum certe eſt, ne viribus medicamenti eos adſcribamus effectus, qui a vi vitae tantum dependent, ideoque inerti mole ventriculum non repleamus.

§. 1595.

Aeris vim in perſpiratione mutanda in diaeteticis §. 703. diſquiſiuimus. Nunc praecipue calidum et humidum, cutis vaſcula relaxando, ſudorem prolicere aſſerimus, in primis, ſi corpora motu exerceantur. Hinc et balnea aquae calidae vel per ſe, vel quatenus plantarum reſoluentium et diſcutientium vires ſuſcipiunt, perſpirationem et ſudorem augent, praeſertim ſi frictione cutis munda redditur,

ditur, et humores ad peripheriam alliciuntur. Balnea vaporoſa ſuper ſpiritum vini accenſum, vel his ſimilia idem praeſtant, et in venereis aliisque morbis cutaneis ſaepius cum fructu applicantur.

§. 1596.

Sudores nimios quies corporis et aer temperatior, vel etiam aura frigidiuſcula, temperate admiſſa, compeſcunt. Frictio corporis et aqua frigidiuſcula, poſt tepidam, qua illud antea lauari debet, cum ſpongia applicata, immo aquae frigidae balnea ſudores, a relaxatione nimia cutis oriundos, coercent. Acida, cum vehiculo aquoſo non nihil frigido exhibita, humores nimis reſolutos cogunt, diaphoreſin imminuunt et diureſin haud raro excitant, id quod nitroſa quoque praeſtare videntur. Dum vero ita contraria contrariis opponuntur, ſumma cautela opus eſt, ne ſudores ſalutares infringantur.

## SECTIO II.
## DE DIVRETICIS.

§. 1597.

Licet renes non adeo amplam ſuperficiem internam quam externa cutis obtineant, nec ab aere in ſecretione ſua perficienda adiuuentur: copiam tamen inſignem ſeri, in primis perſpiratione ſuppreſſa, per ampliſſimos tubulos urinarios ſecedere, experientia docet. Quaecunque igitur medicamenta ſeroſas particulas ad hoc colatorium dirigunt, diuretica dicuntur. Dependet porro huius ſecretionis augmen-

augmentum a regimine, quo aliae ſecretiones ſeroſae ſupprimuntur vel certe imminuuntur, indeque ſerum copioſius ad has vias ducitur. Copia enim nimia aquae in primis frigidae hauſta, ut plurimum ad renes perducitur, ut in urina potus videmus. §. 472.

§. 1598.

Stricte ſic dictis diureticis medicamentis alia annumerantur, quae acrimoniam humorum demulcendo, et urinam, acrimonia ſua ſpaſmos excitantem, blandiorem reddunt, quo ſpaſmo reſoluto urina, hactenus interrupta, nunc liberior fluat. Tandem et ſpecifica dantur medicamenta, quae, licet rarius urinam copioſiorem reddant, eandem tamen qualitate balſamica imbuunt, vias urinarias abſtergunt, easque ad liberiorem ſeri tranſitum diſponunt.

§. 1599.

Indicatio itaque diuretica ad tria reſpicere videtur momenta, ſcilicet ad copioſiorem ſeri, ex ſanguine reſoluti, vel non intime illi admixti, euacuationem; ad ſpaſmi, urinae ſe et excretionem impedientis, ſolutionem; ad balſamicam indolem, vias urinarias mundificantem. Differentiam itaque indicatorum medicamentorum accuratius examinare poterimus, poſtquam indicantia ex poſitis his principiis deduxerimus.

§. 1600.

Cum inſignis aquae copia per renes tranſeat, quae et in ſtatu ſano particulas acres, ſalinas, oleoſus et terreſtres ſecum rapit, et maſſam ſanguinis a nociuis ſaepe particulis liberat, in morbis quo-

que, poſt cruditatem et coctionem criſi ſolutis, ut plurimum per has vias, ſi non omnis, aliqua tamen materiae morboſae copia propellitur. Vti vero hoc in acutis crebrius obſeruamus, ſic et in chronicis, praecipue in ſcorbutica humorum acrimonia, urina, ſedimentum furfuraceum et lateritium deponens, deprehenditur, quae euacuationem ſui per has vias adiuuandam ſuadet.

§. 1601.

Praecipue vero ſerum, in cellulis et cauitatibus in una vel altera corporis parte abundans, ſpiſſum, acre et immobile redditum, ſaepius etiam tubulos renales ſimili modo obſidet, vel efficit, ut iidem ſpaſtice contrahantur; quo in caſu viae, per reſoluentia medicamenta, liberae reddendae ſunt, ut nimia ſeri copia, errore loci moleſta, hanc viam patentem inueniat, et per eam e corpore eliminetur; id, quod in variis hydropis ſpeciebus optimo cum ſucceſſu praeſtatur. Plethora uniuerſalis vel ſpaſmus partium vicinarum v. c. coli, urinam in fluxu non nunquam cohibet, cauſa tamen ſublata excretio ex voto ſuccedit.

§. 1602.

Si tandem viae urinariae ipſae arenulis, calculis, ſanguine grumoſo et materia purulenta, plus minus viſcida, obſeſſae ſunt, vel ulcera, ex venereis praecipue morbis relicta, in iis inueniantur, tunc medicamentis lubricantibus, emollientibus, reſoluentibus et balſamicis eluendae et purgandae ſunt, quo apta diſpoſitio, urinam libere transmittendi, in renibus ureteribus, veſica, et urethra efficiatur. Qua in

re

re ad differentiam fabricae partium indicatarum locumque affectum maxime reſpiciendum eſt.

§. 1603.

Cum vero calculoſae concretiones quoque in his viis haereant, diuretica medicamenta etiam lithontriptica appellantur, non tantum, quoniam calculum promouent et excernunt, ſed quoniam vi, duram calculi ſubſtantiam reſoluente, pollere dicuntur, quo comminutae partes ex his viis propelli, et cum urina excerni poſſint, quae quidem medicamentorum vis nunquam certa, interdum tamen poſſibilis inuenta fuit.

§. 1604.

Aqua calida, magis tamen frigida, optimum diureticum eſt, quoniam ex ſua indole ad vias has propellitur, easque quaſi abſtergit; ſalia fixa media alcalina et acida, in aqua ſoluta, viſcidum, has vias obſtruens, magis reſoluunt. Quoniam vero aquoſa et ſalina diuturno uſu, qui tamen ſaepe neceſſarius eſt, tubulos urinarios relaxant, cineribus plantarum, vel, ob infuſi puritatem, ſalibus Tachenianis alcalinis fixis, vinum rhenanum vel aliud acidulum affunditur, quod infuſum diureſin egregie mouet, iis tamen, quibus vinum non conuenit, ſerum lactis acidum ſuadeatur.

§. 1605.

His remediis, ob acidam indolem, citri, acetoſae, acetoſellae et fructuum horaeorum blande aceſcentium ſucci addi poſſunt. Experientia quoque docuit, quasdam plantas reſoluentes diureſi excitandae et adiuuandae prae reliquis conuenire, ex quibus

apii dulcis, petroſelini, chaerophylli, aſparagi, aſari, dauci, armoraciae, raphani, pimpinellae, naſturtii, milii ſolis cet. radices, turiones, folia et ſemina, praecipue laudantur. Varia tamen eſt haec ſimplicia medicamenta exhibendi ratio, quae ex earundem indole et reliqua aegrorum diſpoſitione diiudicanda eſt.

§. 1606.

Vel enim ſuccus expreſſus ad aliquot cochlearia aſſumitur, ſuperaddito hauſtu iuſculi vel ſeri lactis, vel plantae ipſae, cum lacte vel iuſculo coctae, haec menſtrua virtute diuretica imbuunt, vel affuſo vino rhenano vel ſpiritu vini infuſa vinoſa et tincturas concentratas efficiunt. Squilla etiam huc referri et reliquis admiſceri poteſt, praeſtat tamen, eandem in aceto ſoluere, vel oxymel ſquilliticum exhibere, vel effectus eius in aliquot granis pulueris experiri. Pimpinella et ſquilla, cum tinctura tartari aliisque tincturis alcalinis digeſtae, concentratum exhibent diureticum medicamentum.

§. 1607.

Olea preſſa, v. c. olea amygdalarum dulcium emolliendo ſpaſmum viarum urinariarum tollunt; dantur igitur vel per ſe ad cochleare unum alterumque, vel ſucco citri addito acuuntur. Semina etiam pulpoſa amygdalarum, in primis amararum, ceraſorum, perſicorum et ſimilia, cum aqua trita, emulſum exhibent, in acrimonia humorum et urinae maxime proficuum. Rancida primarum viarum acrimonia, olea; acida vero, emulſiones minus efficaces et ſaepius noxias reddit.

§. 1608.

§. 1608.

Terebinthinae, germanica et veneta, nec non balſama varia, ut de Copaiua et de Mecca, ſimiliaque, praeter alias virtutes reſoluentes et aromaticas etiam diureticam obtinent, et dum urinam vi balſamica imbuunt, ulcera, in primis viarum urinariarum, blande abſtergunt. Haec vel mixturis concentratis vel pilulis adduntur, in primis vero cum vitello ouorum apte remixtae in aqua ſoluuntur, qua ſub forma minus nocent, ſi etiam leuiores ſpaſmi ſimul obſeruantur.

§. 1609.

Ex animali regno inſecta quoque non nulla particulis acribus, vix ſatis definiendis, urinae ſtimulum excitant. Cantharidum effectus certus eſt, ſed maxime periculoſus, cum ſtimulo ſuo ſpaſmos harum partium et ſaepe mictum cruentum inducant; hinc venenis potius, quam medicamentis ſalubribus annumerantur. Millepedes vero maxime laudantur, in primis, ſi recentes cum vino rhenano teruntur et ſuccus expreſſus ad unum alterumque cochleare aſſumitur.

§. 1610.

Lithontriptica, ob differentiam denſitatis calculi, incerta ſunt. Acida mineralia vix in tanta doſi dari et ad vias urinarias deferri poſſunt, ut terream calculi partem ſine noxa reliquarum partium corporis diſſoluant, acida vero vegetabilia tanta vi vix pollent. Alcalina, recenter calcinata, ſaepius minus tuta ſunt, licet eorundem acrimonia ſapone copioſius addito temperetur: hunc tamen in viſcido, calculoſas concretiones coniungente, reſoluendo in-

I 3 terdum

terdum maximi uſus fuiſſe et poroſos friabilesque adhuc calculos ad excretionem diſpoſuiſſe experientia comprobauit. Aqua calcis hunc in finem commendatur, quae copia ſatis inſigni ſine noxa adhiberi poteſt. Cura lactis his medicamentis apte iungi poteſt.

§. 1611.

Diuretica ieiuno ventriculo aſſumantur, et vehiculum aquoſum largius ſuperbibatur, quo medicamenti vis ad vias urinarias dirigatur. Praeſtat quoque potus frigidus calido; regio lumbaris interim vel leniter fricetur, vel pannis calidis ſuperhabitis foueatur; non nunquam cepae aſſatae ſub forma cataplaſmatis regioni pubis et perinaeo apponantur. Corpus porro motu moderato exerceatur, minime vero ad initia ſudoris, ideoque in aere non calido, ſed frigidiuſculo.

§. 1612.

Diureſis nimia, ab acribus fermenteſcentibus, acidis, alcalinis, et venenatis ſaepius particulis inducta, lacte et oleis preſſis recentibus optime compeſcitur. Emulſiones viſcidiores et emollientia decocta, interne hauſta, idem praeſtant, in primis ſi emollientia quoque cataplaſmata lumbis, pubi et perinaeo applicentur. Si vero ſpaſmi nimium urgent, opiata non negligenda ſunt, praecipue cum iisdem ſudor excitetur, quo facto impetus humorum verſus renes imminuitur. Purgationibus aluinis idem interdum praeſtatur. Roborantia medicamenta nimia urinae profluuia, a laxitate viarum urinariarum oriunda, compeſcunt, adſtringentia ſumma cum cautela adhibenda ſunt.

# SECTIO III.
## DE SIALAGOGIS.

§. 1613.

Saliua, in uſus digeſtionis ſecreta §. 358. ideoque non exſpuenda §. 859. interdum tamen morboſa reddita, reiicitur, eiusque euacuatio per varia medicamenta adiuuatur. Sialagoga igitur dicuntur medicamenta, quae ſaliuam copioſius ad oris cauitatem deriuant, eiusque excretionem accelerant. Alia ex his ſtimulo, oris cauitati inducto, et agitatione maxillarum profluuium hoc ſaliuale augent; alia vero ipſam maſſam humorum reſoluendo, peculiari quadam vi, ſerum copioſius per vias ſaliuales ſubducunt.

§. 1614.

Saliuam vero copioſius mouendam et euacuandam eſſe cognoſcimus; ſi mucus tenacior oris cauitatem et fauces obſidet, quo in caſu mucus, in his partibus copioſius ſecretus et per ſputum reiiciendus, ſaliuae excretione iuuatur; ſi inter aegrotos, contagioſis morbis decumbentes, verſamur, ne miaſma ſaliuae facile ſe inſinuans deglutiatur; ſi critici motus omnem vel aliquam materiae morboſae partem ad has vias deriuant, et ita natura ipſa hanc excretionem molitur; ſi miaſma malignum, v. c. in lue venerea, variis medicamentis reſolutum, praecipue has vias petit, et ſecretionem auget.

§. 1615.

Secretio vero ſaliuae non augenda eſt, niſi humorum copia ſufficiens adſit, in macilentis enim optima humorum pars euacuatur nimiaque ſiccitas

corpori inducitur. Si itaque haec euacuatio per indicantia varia ſuadetur, tunc corpus humectandum et infuſis et decoctis variarum plantarum emollientium, attenuantium et leniter reſoluentium, exhibitis, ad eandem praeparandum eſt: Bardanae, ſcorzonerae, chinae, ſaſſaparillae et foeniculi radices hic prae reliquis nominari merentur.

§. 1616.

In ſiccitate faucium, orificiis vaſorum muco tenaci obſeſſis, collutiones aquae ſimplicis, acidulatae, mellitae crebriores optime conueniunt. Haec in febribus ſaepe ſitim leuant, ubi non tanta aquoſi potus copia ingurgitari poteſt, quantam ſaepius aegrotantes exigunt. Nauſeoſa quaelibet, in primis purgantia, medicamenta ſaliuam quidem copioſius proliciunt et ſputationem excitant, haec tamen pro ſcopo ſaliuam mouendi vix exhibentur.

§. 1617.

Maſticatio ſola ſaliuam prolicit, et corpus quodlibet durum v. c. globulus plumbeus, mediante lingua in ore agitatus, eundem effectum praeſtat; maior vero idem obſeruatur, ſi herba nicotianae et ſaluiae, radices pyrethri et pimpinellae, nec non alia aromatica v. c. ſemen foeniculi, fructus caryophyllorum et cortices cinnamomi manducantur. Conueniunt haec in viſcida pituita faucium et ſaliua ſpiſſa ſtagnante, v. c. in odontalgia, angina catarrhoſa et in paralyſi linguae a cauſa pituitoſa; eorum tamen abuſus fauces nimium exſiccat. Grana maſtichis maſticata mitiſſimum hoc in caſu remedium ſiſtunt.

§. 1618.

§. 1618.

Vt herbae nicotianae maſticatio ſaliuam prolicit, ſic etiam fumus eius, per fiſtulas hauſtus, idem praeſtat. Hunc quidem fumum ſugendi modum in diaeteticis §. 860. ſanitati minus conuenientem eſſe pronunciauimus; non incongruum tamen eſt, uſum medicamentoſum tum temporis concedere, ubi in doloribus dentium aliisque catarrhoſis affectionibus faucium ſaburra humorum per has vias educenda eſt, ubi ſimul anodynam vim exſerit.

§. 1619.

Mercurialia medicamenta humores viſcidos, in glandulis ſtagnantes, immo uniuerſam humorum maſſam reſoluunt, et tunc ut plurimum per ſaliuationem ſerum et mucum reſolutum, et morboſum miaſma ducunt. Mercurius etiam, in fumum reſolutus, corpus penetrat, ſi cuti applicatur; inunctio tamen mercurii viui, cum ſaliua vel terebinthina triti, et cum pinguedine ſubacti, magis in uſu eſt. Internus mercurii, cum ſalibus praeparati, uſus v. c. mercurii dulcis et praecipitati albi, ſaliuationem ſuo modo moderandam, vel intendendam producit. Mercurius ſulphuri iunctus, hunc effectum haud praeſtat.

§. 1620.

Largius ſaliuae profluuium per varia medicamenta, in primis per mercurialia excitatum, iuuatur potu copioſo decoctorum reſoluentium et attenuantium plus minusque acrium, §. 1615. Inter ea vero temporis in aere temperato viuat aeger et caput, ceruicem et collum pannis calidis foueat, omneque refrigerium in primis ſubitaneum euitet,

ne humores huc moti ad alias vias deriuentur, et peſſima pars miaſmatis in anguſtiis his vaſorum ſtagnet; victu utatur parciori, facile digerendo, qui alui conſeruat lubricitatem, nec acrimonia nocet. Collutiones leniter emollientes et ſaliuae fluxum iuuant, et ardorem faucium temperant.

§. 1621.

Quando vero ſaliuatio nimia aut ſupprimenda, aut moderanda eſt, tunc decocta emollientia, largius haurienda, vel emulſiones blandae, in primis papauerinae, ex ſeminibus recentibus tritae, propinandae ſunt. Et opii uſus interdum conuenit, non tamen, niſi in eo caſu adhiberi poteſt, ubi ſaliuatio prorſus ſupprimenda eſt. Purgantia mannata, vel cum ſtimulo foliorum ſennae vehementiora reddita, ſenſim ſenſimque aucta, ſaliuationis impetum quoque imminuunt, tandemque ſupprimunt.

§. 1622.

Saliuatio vero mercurialis non tantum in morbis venereis, ſed et in variis partium obſtructionibus tentatur et interdum cum fructu prolicitur. Sic in amauroſi, ex obſtructione nerui optici orta, non raro utilis fuit. Summa tamen in his requiritur attentio, ne corrupta iam viſcera magis deſtruantur, et mors acceleretur v. c. in ſcirrho confirmato, vel in phthiſicis. Grauidis etiam vix conceditur, licet feliciter in his peractae ſaliuationis non nulla exempla proſtent.

SECTIO

# SECTIO IV.
## DE STERNVTATORIIS,

§. 1623.

Pituitaria membrana, in narium cauitate expanſa, in ſano corporis ſtatu ſerum et mucum ſecernit §. 494. et lacrymarum pars per ſaccum lacrymalem in hanc cauitatem deſcendit. §. 514. Ampliſſimum quoque hoc cauum, per ſinus varios caluae et maxillae ſuperioris auctum, in nimio affluxu ſeri ad caput magnam ſaepius humorum copiam ſecernit, ita, ut in catarrho pituitoſo mucus tenacior, in coryza ſerum acre effluat. Medicamenta igitur, quibus excretio haec promouetur et adiuuatur, ſternutatoria appellantur.

§. 1624.

Sternutatoria et errhina quidem medicamenta ea potiſſimum dicuntur, quae ſtimulo quodam, naribus illato, ſternutationem, hoc eſt, violentam et profundam inſpirationem ſimilemque exſpirationem efficiunt, §. 446. poſſunt tamen et ea huc referri, et ex indicatis ſuis diiudicari, quae emolliendo et reſoluendo, ſine motu vehementiori illato, mucum, in naribus haerentem, diluunt et excretionem hanc iuuant. Analeptica et neruina medicamenta §. 1367 ſeqq. licet et per nares ſaepius attrahantur, huc vix referri poterunt, niſi, quod interdum fieri ſolet, tunicam pituitariam ſuis ſtimulis vellicent.

§. 1625.

Indicatur vero haec ſe et excretio per nares adiuuanda, ſi in grauedine tenax pituita in anguſtis ſinuum orificiis haeret, et preſſione moleſta eſt; ſi copia

copia muci ſat fluidi poſt perſpirationem ſuppreſſam, hyemali potiſſimum tempore, huc deriuatur; ſi acre et ichoroſum ſerum tanquam excrementitium, per has vias in coryza educitur; ſi lacrymarum affluxus, oculis moleſtus, vel nimia ſeri et muci copia, in pulmonibus coaceruata, pro parte huc deriuanda eſt.

§. 1626.

Licet vero experientia oſtendat, magnam ſuperflui et morboſi humoris copiam per has vias deriuari poſſe, uſus tamen ſternutatoriorum ex conſuetudine, ſine indicatione bene perpenſa, applicatorum, facile in abuſum conuertitur §. 857. quoniam per ſtimulum affluxus ſeri ſuperflui ad nobiliores capitis partes diſponitur, maximeque moleſtus eſt, et licet ille non immediate cerebrum ipſum afficiat, ob nexum tamen vaſorum et neruorum ſtupores et ingratas alias ſenſationes efficere, et forte etiam ad apoplecticos inſultus diſponere valet; hinc ubi alia excretio deriuatoria promoueri poteſt, haec non eligatur, nimiumque intenſa coerceatur.

§. 1627.

Puluis tenuiſſimus inodorus, aliqua vi in nares ductus, vellicationem efficit, et ſaepe ſternutationem mouet; ſi igitur plantarum, oleo eſſentiali aromatico praeditarum, pulueres v. c. ſaluiae, roriſmarini, maioranae cet. ſimpliciter vel cum ſacchari ſtimulo applicantur, tunc tunicam pituitariam magis irritant. Si herba nicotianae et flores liliorum conuallium in pollinem conteruntur, inter fortiora habentur ſternutatoria, puluis euphorbii, ſimili modo applicatus, vehementiſſimo ſaepiusque noxio ſtimulo

mulo pollet, et ſternutatoriis medicamentis ideo vix addendus eſt.

§. 1628.

Pulueres hi ſternutatorii in primis nicotianae, vel oleis deſtillatis additis gratiores, vel ſpiritu ſalis ammoniaci aliisque acribus fortiores redditi, in eo tantum caſu applicari poſſunt, ubi pituita narium copioſa ſatis, adhuc tamen mobilis, tenax eſt, et aliqua capitis concuſſione, per ſternutationem praeſtanda, indiget, quo per anguſta ſinuum orificia deferatur. In ſiccitate tamen caui narium, vel a defectu ſeri affluentis, vel a muco tenaci et nimis adhaerente oriunda, vel in acribus et ichoroſis fluxionibus, nares ſaepe arrodentibus, minus rite applicantur. Hinc noxa, ex nimio puluerum ſternutatoriorum uſu oriunda, patet.

§. 1629.

His vero indicatis praeſentibus vapor aquae calidae vel lactis, melle et ſaccharo non nunquam additis, optime conuenit, porro quoque infuſa aquoſa plantarum emollientium maluacearum, nec non plantarum diſcutientium et leniter reſoluentium, betonicae, agrimoniae, tandem etiam croci cum lacte, tanquam antiſpaſmodici medicamenti, vel in nares immitti, vel vaporoſo ſuo halitu applicari poſſunt, quo ſiccitas emolliendo tollatur, et mucus reſoluendo ad excretionem diſponatur.

§. 1630.

Haec ipſa etiam commode applicari poſſunt, ſi ſtimulus fortior ab acribus ſternutatoriis naribus illatus fuerit, vel ſi colluuies nimia ichoroſa et ulceroſa

roſa ea loca petat, quo acrimonia obtundatur, inuoluatur et ſpaſmus tollatur. Si laxitas nimia tunicae pituitariae affluxum ſeri auget, tunc ſicci vapores ſiue fumi ex benzoino aliisque odoramentis robur addunt: in hoc tamen caſu quoque conuenit ſerum ad alia loca deriuare.

## SECTIO V.
## DE VESICATORIIS ALIISQVE IRRITANTIBVS REMEDIIS.

§. 1631.

Serum in locis, quibus moleſte inhaeret, aut diſcutere aut ad exteriora et remotiora loca deriuare conuenit, quod quidem irritatione ſyſtematis neruoſi, nec non laeſione integumentorum communium plus minusque profunda perficitur. Rubefacientia, quae cuti dolorem et lenem inflammationem conciliant, cuticula vix laeſa; veſicatoria, quae cuticula laeſa, ex habitu cutaneo ſerum ſubducunt, tandem ulcera artificialia, ſuper cutem excitata, hoc eſt, fonticuli, ſetacea aliaque ulcera, arte facta, noſtram attentionem merentur.

§. 1632.

Plantae, acrimonia cauſtica praeditae, v. c. ranunculi ſpecies contritae, et cuti applicatae, rubedinem excitant; ſemina ſinapi recentia, et acria trita, et cum fermento panis inſtar cataplaſmatis applicata, ſimilia emplaſtra, ex farina ſecalina cum piperis granis contritis et aceto facta, rubefaciunt. Haec temporibus, poſt aurem, ad nucham, carpos, ſuras

ſuras et plantas pedis admouentur, et dolores et ſpaſmos, a ſero ſtagnante in vicinis locis ortos, diſcutiunt; hinc in doloribus dentium, obtuſis et incompletis, podagricis inſultibus, aliisque in caſibus ſaepius cum fructu adhibentur.

§. 1633.

Dropaces ſiue emplaſtra, ex pice aliisque acribus facta, ſimili ratione et vehementius agunt, ſed et porro urticae caules et folia, in primis iuniora, ſpiculis copioſiſſimis, quibus in ſuperficie conſita ſunt, cutem irritant, leniter inflammant, puſtulasque excitant, hinc extremitates corporis, paralyſi laborantes, iis caeduntur, ut dolore inducto nerui excitentur et ſtagnans ſerum moueatur atque diſcutiatur. Deſquamatio ſucceſſiua cuticulae in his partibus ſaepe oritur et perſpiratio aucta redditur.

§. 1634.

Veſicatoria, quae irritando cuticulam eleuant et ſerum copioſum in veſica orta, colligunt, ex puluere cantharidum fiunt, qui cum fermento panis vel emplaſtro de meliloto applicatur, et, quo promtior effectus ſit, copioſe inſpergitur. Horum uſus continuatus multum ſeri ſubducit et ſuppuratione ſuccedente cutim ad tempus exulceratam ſiſtit, inter ea quoque ſyſtema neruoſum irritando mouet, et in motu ſalutari, ad peripheriam corporis dirigendo, ſuſtinet. Admouentur in primis intra ſcapulas ad humeros, carpos et ſuras.

§. 1635.

Veſicatoria igitur et rubefacientia indicantur in ſyſtematis neruoſi immobilitate, a ſero copioſo ſtagnan-

gnante oriunda, ideoque in apoplecticis, paralyticis et ſoporoſis morbis multum commodi praeſtant, ſeroſas quoque ſtaſes ab organis nobilioribus auertunt, ut in morbis oculorum cum colluuie ſeroſa. In acutis ſaepius febribus et in ſtatu praecipue cruditatis, ſyſtema neruoſum ad motus vitales excitandos diſponunt. Minime vero in ſiccis corporibus conueniunt, in primis, ſi ſpaſmi vehementiores vel inflammatorii motus uniuerſales adeſſe obſeruantur.

§. 1636.

In chronico ſeri decubitu ad partes nobiliores, in primis ad caput et organa ſenſoria facto, ſetacea in ceruice applicantur. Fila ſcilicet lanea, contorta et acu ſub cute traiecta irritantibusque medicamentis illinita, inflammationem et ſuppurationem excitant; affluxus autem ſeri in ulcere hoc artificiali, aptis medicamentis ſuſtinendus, vel quoque pro re nata moderandus eſt. Simili ratione fonticuli ſunt ulcera artificialia, quae ſub cute, in contextu celluloſo ad inferiorem partem femoris et ſuperiorem humeri, vel ſectione cum ſcalpello facta, vel cauterio efficiuntur, irritantibus non nunquam excitantur, et per diuturnum tempus aperta ſeruantur.

§. 1637.

Fonticuli potiſſimum in chronicis morbis excitantur, quo euacuationes acris ſeri diutius ſuſtineant, in primis, ſi ſanitas internis medicamentis ita reſtitui nequit, ut natura affluxu hoc artificiali carere poſſit. In ſenibus, ſi vel caſu vel negligentia exſiccantur, haud raro maxima incommoda producunt, ſique ſponte ſicci facti fuerint, ſaepe mortis proximae indicia ſunt. Simili etiam modo ulcera,

ad

ad crura orta, ſeri acris affluxum praeſtant, et corpus a grauioribus morbis praeſeruant; ſi tamen latius ſerpunt, non nunquam aptis remediis coercenda ſunt.

§. 1638.

Vlcera artificialia cauſticis quoque excitantur. Si enim vehementiſſimus dolor et inflammatio ſubſequens affluxum ſeri copioſiorem ad aliquam corporis partem allicit et eſcharam inducit, interdum ulcera efficiuntur; alia interdum munda redduntur. Dicuntur vero cauſtica potentialia, quae non ipſum ignem, ſed tantum eius effectum ſiſtunt: ſic ſpiritus ſalis ammoniaci in fiſtulis ſaepe applicatur, et lapis cauſticus chirurgorum, ex alcali fixo et calce viua paratus, vel butyrum antimonii, vel, qui reliquis praeſtat, lapis infernalis ſiue luna cauſtica huc referuntur. Actualia vero cauteria ſunt inſtrumenta ferrea, variae figurae, quae candefacta applicantur, quorum omnium inſignis, praecipue in chirurgia, uſus eſt.

# CAPVT XIII.

## DE EVACVATIONIBVS SANGVINIS.

§. 1639.

Sanguinis abundantia, vel in uniuerſo corpore obſeruata, vel ad quasdam partes impetu ſingulari delata, euacuationem ſui exigit. Licet itaque victus parcior, potus tenuior, motus corporis viribus proportionatus, cum cibo ex vegetabilibus, in pri-

mis ſubacidis §. 1412 ſqq., inter aptiſſima remedia plethorae imminuendae relata fuerint, tamen et ibi iam de venae ſectione agendum erat, cuius et ſimilium euacuationum rationem nunc fuſius deſcribere tenemur.

§. 1640.

Venae ſunt canales, ſanguinem ad cor redeuntem placide transmittentes §. 161. 162: hinc ex iisdem optima euacuatio ſanguinis praeſtari poteſt. De venae ſectione igitur, tanquam primaria euacuatione ſanguinis, in ſectione prima dicturi, reliquos vero ſanguinem euacuandi modos in ſectione altera pertractaturi ſumus. Qua quidem methodo indicationem ſanguinis euacuatoriam, per indicantia et contraindicantia definitam, optime declarare poterimus.

## SECTIO I.
## DE PHLEBOTOMIA.

§. 1641.

Phlebotomia ſiue venae ſectio eſt inciſio venae, ſub cute collocatae, ad euacuationem ſanguinis praeſtandam adminiſtrata. Venae vero, ex quibus ſanguis educitur, ſunt iugulares, raninae, in palpebris diſperſae, medianae variae, in flexura cubiti diſpoſitae, cephalica pollicis et ſaluatella, dorſalis in pene, ſaphenae ramificationes, praecipue ad malleolos et in dorſo pedis excurrentes, quae quidem omnes pro varia indicationum ratione eliguntur.

§. 1642.

In genere quidem copia ſanguinis, nimium aucta, venae ſectionem exigit; quoniam vero et copia quodam modo aucta, ſaepius ſine inſigni incommodo fertur, et praeter copiam alia non nulla phaenomena occurrunt indicantia, ſpecialius ea omnino diſquirenda ſunt. Hoc quidem apte fieri poterit, ſi primo conditiones ſanguinis et humorum, poſt ea vaſorum indolem, fluidis reſiſtentem, tandem motum ſanguinis per vaſa ſigillatim perpendimus, et indicantium et contraindicantium rationem ad hanc normam perſpicimus.

§. 1643.

In denſitate ſanguinis plethoricis veris praecipue venae ſectio promtum auxilium praeſtat §. 1412 illiusque liberiorem circulationem efficit; In copia ſanguinis et humorum, quam in obeſis obſeruamus §. 1413, eadem lentius quidem effectum ſalutarem, attamen euidentem praeſtat; In raritate tamen ſanguinis, quae in plethoricis a debilitate obſeruatur §. 1413, non niſi in caſu neceſſitatis, admittitur venae ſectio. Cum vero hae corporum conditiones magis diſpoſitiones ad morbos, quam morbi ipſi ſint, ad ſyſtema vaſorum et motum ſanguinis ſimul reſpiciendum erit.

§. 1644.

Si enim medicus ex pulſu forti et duro ſanguinem cordi nimium reſiſtere cognoſcit, de neceſſitate venae ſectionis magis conuincitur. Licet enim haec reſiſtentia non ſemper a copia et denſitate ſanguinis, ſed a ſpaſmo quoque arteriarum dependeat, tamen ſpaſmus, impulſu imminuto, quoque remittit. Haec

vero indicata tunc temporis longe certiora euadunt, ſi dolor, rubor, pulſatio vel alia internae et externae inflammationis ſigna §. 1209. ſimul concurrunt.

§. 1645.

Motus humorum auctior §. 973 ſiue febris, venae ſectionem non ſemper indicat. Si enim hi motus nondum iuſto vehementiores ſunt, ſaepiſſime bonam coctionem et criſin praeſtant, quae venae ſectione, intempeſtiue adminiſtrata, turbantur: ſi vero nimium intenduntur et aeſtum cum ſiccitate producunt, nec criſis inſtat, tunc venae ſectione motus hos coercere conuenit. Calore enim nimio ſanguis in mixtione turbatur, et ad diatheſin phlogiſticam diſponitur. Criſin vero inſtantem ex aliis ſignis diiudicamus §. 1297. ſeqq.

§. 1646.

Non tantum in inflammationibus particularibus ſanguis ad partes affectas vehementiori impetu propellitur, ſed et in haemorrhagiis particularibus, v. c. narium, uteri, haemorrhoidum, ſimilis impetus ad partes, ubi euacuatio obſeruatur, ſuccedit; quo in caſu euacuatio haec particularis venae ſectionem, et forte in loco remoto exigit; idque eo magis, ſi partes, per quas ſanguis effluit, inde quam maxime laeduntur, ut in haemoptoe et vomitu cruento. Summa tamen imbecillitas, in primis cum pulſu debili obſeruata, venae ſectionis contraindicans eſt.

§. 1647.

Et motus humorum retardati interdum venae ſectionem exigunt, in primis ſi durities in pulſu tardo obſeruatur. Licet enim poſt venae ſectionem motus

motus auctiores eueniant, iidem tamen magis liberi fiunt, et coctioni et aequali humorum circulationi fauent. Quod ſi vero motus retardati ſine venae ſectione per ipſam acrimoniae euolutionem tandem accelerantur, tunc, quod humorum maſſam reſoluant, vires infringunt et ſolida deſtruunt. Debilis et tardus pulſus venae ſectionem non indicant.

§. 1648.

Haec forte ſunt praecipua momenta, quae indicationem euacuatoriam, per venae ſectionem praeſtandam, definiunt. Chirurgia transfuſoria, a non nullis tentata, eandem quoque exigit, ubi nimirum per venam apertam ſanguis iunioris animalis, vel per chirurgiam, infuſoriam dictam, medicamenta varia iniiciuntur. Cum vero haec medendi methodus his noſtris temporibus raro vel nunquam exerceatur, in tranſitu tantum eandem indicaſſe ſufficiat.

§. 1649.

Cum effectus venae ſectionis eandem vel cum ſucceſſu factam fuiſſe, vel eam iterum repetendam eſſe oſtendant, de iis pauca proponamus. Venae ſectio copiam ſanguinis minuit; hinc vaſa maiora non amplius ultra modum diſtenduntur, nec minora inde comprimuntur; reſiſtentia, cordi a mole ſanguinis et ſpaſmo vaſorum facta, tollitur; circulo humorum itaque liberiori reddito, obſtructa reſoluuntur et ſecretiones impeditae reſtituuntur. Hinc anxietas, dolor, ſiccitas et impetus in loca particularia tolluntur, et calor in ſanguine auctus, et quae non nunquam inde oritur, diatheſis phlogiſtica diſſipatur. Qui effectus, licet haud raro ſolam venae

ſectionem ſequantur, interdum tamen aliis auxiliis ſuſtinendi ſunt.

§. 1650.

Effectus venae ſectionis reuulſorii et deriuatorii, de quibus multum diſputatur, non a venae ſectione in ſe, ſed a circulo ſanguinis, liberiori reddito, dependent. Inde tamen et electio venae ſingularis dependere videtur. In pluribus caſibus ſola euacuatio definitae quantitatis, quocunque in loco facta, circulationem, in parte qualibet impeditam, liberiorem reddit. An interdum, et in quibusdam caſibus, ſelectus venae neceſſarius ſit, in praxi ſpeciali apparebit. Iugularis certe vena ſuas in quibusdam capitis morbis habet praerogatiuas; et in pectoris inflammationibus inciſionem venae lateris affecti plus attuliſſe iuuaminis, quam remotae, obſeruatum fuit. Circa venas extremitatum ſelectus difficilius definitur; minores aliae venae ex morbis particularibus diiudicantur.

§. 1651.

Ex indicationibus generalibus, paulo ante ſtabilitis, contraindicantia quoque colliguntur; ex quibus defectus ſanguinis boni et debilitas inde orta primarium eſt. Hinc patet, cur in multis morbis chronicis et in primis in obſtructionibus viſcerum ſeroſis et maxime ſcirrhoſis, in quibus ſaepius haemorrhagiae oriuntur, venae ſectio tamen locum non habeat. In ſenibus, ob defectum humidi et obſtructa ſaepius iam viſcera, raro requiritur venae ſectio. In infantili et puerili aetate copia ſanguinis venae ſectionem non urget, cum, propter laxitatem ſolidorum, reſiſtentiae raro ita augeantur, ut aequilibrium reſtituendum ſanguinis euacuationem exigat.

§. 1652.

§. 1652.

Aeger vero, cui vena ſecanda eſt, vel lectulo incumbat, vel ita ſedeat, ut abdomen et extremitates corporis liberae et ſine compreſſione et diſtenſione reponantur. Pars, in qua vena ſecanda eſt, fricetur et fomentis et balneis tepidis, ſucceſſiue incaleſcentibus, regreſſus ſanguinis acceleretur. Liganda etiam eſt vena ſupra locum ſectionis, ſi conſtrictio regreſſum impedire valet, quod in brachio magis, quam in pede, perficitur.

§. 1653.

Vena ipſa cum lanceola, vel, ſi cutis durior eſt, cum inſtrumento elatere inſtructo (*Schnepper*) melius pertunditur. Interdum cutis quodam modo adducenda eſt, quo vena fluctuans figatur. Vena vero in obeſis tactu diſquiratur et in macilentis praecipue eo reſpiciatur, ne tendo, arteria proxima et neruus laedantur. Vulnus infligatur magnum, et, ſi fieri poteſt, longitudinale, tunc ex quieſcente parte, ea, quae requiritur, ſanguinis copia educatur. Si vulnus autem anguſtum fuerit inflictum, tuſſiendo, vel alio modo reſpirationem excitando, et muſculos vicinos agitando ſanguinis motus acceleretur. Membrum, quantum fieri poteſt, in eo ſitu ſuſtineatur, in quo vulnus inflictum fuit, ne integumenta venae vulnuſculum tegant.

## SECTIO II.

## DE RELIQVIS SANGVINEM EVACVANDI MODIS.

§. 1654.

Arteriotomia rarius ſuſcipitur, nec forte alibi, quam in arteria temporali, quae proxime ante

auris ſuperiorem partem, tactu accurate diſquiſita, diſcinditur. In grauioribus capitis morbis, a cauſa ſanguinea ortis, v. c. apoplexia, vel inſigni oculorum inflammatione, indicatur. Impetum ſanguinis verſus partes has nobiliores per temporis interuallum cohibet, ideoque permittit, ut in vicinis ramis liberior reddatur eius circuitus. Sectionem venae iugularis alii arteriotomiae praeferre ſolent.

§. 1655.

Scarificatio in habitu cutaneo ſuſcipitur. Poſt quam enim cucurbitulis, cum multa flamma admotis, impetus ſanguinis ad aliquam cutis partem deductus fuit, locus ille inſtrumento quodam, multis vulnuſculis cutem laedente, pertunditur, et, cucurbitulis iterum eodem modo ſuperimpoſitis, ſanguis educitur. Applicantur vero cucurbitulae occipiti, ceruici, dorſo et extremitatum corporis variis locis. Scarificatio oculorum faſciculo glumarum ſecalinarum, coniunctiuam tunicam in palpebris dilacerando, perficitur. Inciſiones plurimae, profundae partium, gangraena corruptarum, ſcarificationis quoque nomine, chirurgis veniunt.

§. 1656.

Scarificatio cutanea, quam hic potiſſimum conſideramus, in morbis cutaneis praecipue indicatur; ſi circulationem ſanguinis et humorum in cute liberiorem reddere, ſtimulando humores eo allicere et ad excretionem diſponere intendimus. Haec ratio eſt, cur in ſcabie et aliis excretionibus cutaneis morboſis, hoc auxilio non nunquam utamur. Scarificatione ſanguinis copia inſignis ſaepe educitur, ita, ut in ſcarificatione capitis, cucurbitulis ad finem

ſuturae

ſuturae lambdoideae applicatis, dolores capitis, a cauſa ſanguinea orti, ſaepius diſſipentur, et ii, qui venae ſectionem interdum reformidant, ſcarificatione crebriore copiam ſanguinis quodam modo imminuant.

§. 1657.

Si ſanguis venas nimium diſtendit, et in iis ſubſiſtit, nec euacuationes nunc dictae, commode inſtitui poſſunt, hirudines ſiue ſanguiſugae applicantur. Vermes hi variis quidem corporis locis, ex quibus ſanguis educendus eſt, v. c. gingiuis, et ſic porro, applicari poſſunt, praecipue tamen haemorrhoidibus turgentibus caecis applicantur, ex quibus ſaepe inſignem ſanguinis copiam educunt, et ſymptomata inde orta mitigant.

§. 1658.

Inter omnes haemorrhagias, quae in corpore oriuntur, et interdum a ſalutaribus naturae motibus ſuſtinentur, interdum vero morboſis diſpoſitionibus perturbantur, nullae adeo ſunt, quae arte adiuuari ſolent, quam menſtruus et haemorrhoidalis fluxus. Licet autem difficilis haec doctrina in genere hic confici nequeat, ſed ad praxeos ſpecialis tractationem remittenda ſit, praecipua tamen momenta breuiſſimis hic tradere placuit.

§. 1659.

Catameniorum fluxus in feminis non mouendus; hinc in iis nec citius prouocandus, nec diutius urgendus eſt, niſi ex eius defectu incommoda oriantur. Praecipua vero indicantia ſunt: plethora euidens, dolor ad lumbos et crura, laſſitudo, reſpiratio anheloſa, in primis in adſcenſu per decliuia

loca, haemorrhagiae variae, ſponte obortae et hanc noſtram euacuationem impedientes. Fluxus lochiorum, qui poſt puerperium accedere ſolet, ſimili modo conſideratur, nec urgetur, niſi eius defectus v. c. dolores capitis, anxietates praecordiorum et alia ſymptomata morboſa produxerit.

§. 1660.

Poſtquam vero indicatio generalis de utroque fluxu, per muliebria proliciendo, facta fuit, tunc ſine cauſae impedientis cognitione nulla indicatio ſpecialis formari, nec apta indicata eligi poſſunt. Curatio itaque ex aliis therapiae generalis capitibus petenda eſt, cum nimia ſanguinis copia, vel eius defectus, cacochymia varia, robur auctum et debilitas, partium relaxatio et ſpaſmus, de quibus paſſim iam egimus, eruptionem ſanguinis per haec loca conſueta impediant; quo magis vero has aliasque cauſas, ſibi inuicem contrarias, deprehendimus, eo magis de vera inuenienda ſolliciti eſſe tenemur.

§. 1661.

Quod ſi vero cuncta in corpore rite diſpoſita ſint, tunc ſanguis vel ſponte vel definito tempore erumpit, vel medicamentis ſpecificis eo deriuatur. Locum hic inueniunt vegetabilia amara, roborantia, plus minus aromatica, ſpecifico quodam odore praedita, v. c. matricaria, marrubium album, pulegium, mentha, meliſſa, leuiſticum, ros marinus, ſabina, aliaque plura, quae in infuſis vinoſis et aquoſis interne, nec non externe in balneis, pediluuiis et fomentis applicantur. Gummi ſaponacea foetida, partim ut roborantia, partim ut emollientia et antiſpaſmodica, euidenti ſaepius effectu ſe commendant.

dant. His addimus crocum, aloen, myrrham, ſuccinum, caſtoreum, martem et alia medicamenta, ad particularem indicationem diſponenda.

§. 1662.

Licet haemorrhoidum fluxus impeditae circulationis ſanguinis per viſcera abdominalia indicium ſit, nec unquam naturae conueniens iudicari queat; eodem tamen interdum accedente, multa incommoda morboſa leuantur, eodemque in diſpoſitis deficiente, multa ſymptomata morboſa oriuntur. Hinc interdum indicationis haemorrhoidalis neceſſitas cognoſcitur, ſi circulus ſanguinis per ſyſtema venae portae, vel ob indolem ſanguinis, in primis atrabilariam, vel ob ſpaſmos languidior eſt, ſi morbi cum phantaſia laeſa inde oriuntur, ſi ſanguis, his praeſentibus, per alia et minus conſueta loca effluit.

§. 1663.

Et hoc in caſu indicatio curatoria, haemorrhoides euacuans, ex aliis therapiae capitibus petenda eſt, multaque tum temporis cum indicatione emmenagoga communia habet, licet partes, ex quibus ſanguis effluit, diuerſiſſimae fabricae ſint. Aloetica, gummi ſaponacea, venae-ſectiones tempeſtiuae, omnem quaſi paginam abſoluunt. Haemorrhoides tamen, naturae motu excitatae, et accurata diaeta exceptae, magis ſalutares et conſtantes ſunt, quam quae arte proliciuntur.

PARS

# PARS V.

## DE INDICATIONE SYMPTOMATICA SIVE PALLIATIVA.

### §. 1664.

Dum medicus, artem ſalutarem exercens, vitales vires conſeruare, cauſas remouere, et ipſas corporis morboſas conditiones immutare ſuſcipit, ſaepiſſime in indicationibus his, per varia remedia et auxilia attingendis, impeditur, ſi ſymptomata grauia occurrunt. Quando itaque haec ſymptomata genuinam medendi methodum turbant, aut inſtans vitae periculum minantur, tunc ea omni ſtudio auertenda ſunt, reliquis etiam indicationibus ad tempus relictis. Indicatio autem ſymptomatica ideo urgens dicitur, quoniam non niſi urgente neceſſitate ſuſcipitur, vel palliatiua, quoniam impetus morbi, in vehementiſſimis ſymptomatibus conſpicui, tantum ad tempus ſopiuntur.

### §. 1665.

Symptomata ſunt actiones laeſae, ex praeternaturali diſpoſitione partium corporis ſolidarum et fluidarum oriundae §. 1078. Sunt ergo effectus vel morbi, vel cauſae morbi, vel aliorum ſymptomatum. Licet vero effectus nunquam, niſi cauſa ſublata, ceſſent, interdum tamen, cauſa adhuc ſuperſtite, ii, in partibus variis corporis conſpicui, coerceri et mitigari poſſunt. Et hoc eſt, quod methodus medendi, non in leuioribus quibusdam ſym-

ptoma-

ptomatibus, ſed in grauiſſimis et urgentibus praeſtare annititur.

§. 1666.

Ad ſymptomata urgentia ut plurimum referuntur: ſitis, vigiliae nimiae, virium proſtratio ſubitanea. Vti vero hoc ultimum per indicationem vitalem corrigitur, ſic priora bina non, niſi cauſis mutatis, optime compeſci poſſunt. In hac noſtra tractatione ſpecimen curationis palliatiuae tantum exhibituri ſumus, dum in capite primo de dolore compeſcendo, in altero autem de excretionibus moderandis, ſermonem inſtituimus, quo ad hanc normam et reliqua, quae occurrunt, ſymptomata mitigari et ſuo modo diſſipari poſſint.

# CAPVT I.
## DE DOLORE COMPESCENDO.

§. 1667.

Dolor eſt moleſta ſenſatio, a tenſione fibrarum neruearum oriunda. Sic enim vel acre laedens obſtructionem, vel obſtruens diſtenſionem efficiendo, moleſtam hanc ſenſationem inducunt. Nec enim omnis dolor a laeſione continui dependet, cum, ſi unitas prorſus ſoluta ſit, nullus dolor remaneat, ſi vero unitas ita ſoluta ſit, ut quaedam fibrae vicinae tendi poſſint, tunc demum oritur dolor. Hinc igitur in ſerie fibrarum, inaequaliter tenſarum, dolor ſedem habere videtur, ita, ut aliae fibrae influxu

fluxu fluidi neruei moueantur, vicinis non ex natura ſua, ſed per conſenſum ſimul ductis.

§. 1668.

Dum vero et acre laedens corrigimus vel diluimus, vel obſtruens reſoluimus et mobile reddimus, tunc vera obtinetur curatio. Calculus v. c. anguloſis et acutis eminentiis laedit, et in anguſtiis canalium haerens dolorem excitat, qui non ceſſat, donec ille excretus vel eductus fuerit. Haec vero curatio vera non palliatiua dici poteſt, quae tunc demum hoc nomen meretur, quando cauſa ſymptomatis ſuperſtite, illud tamen medicamentis applicatis quodam modo mitigatur.

§. 1669.

Fibra tenſa, quando dolorem excitat, aut quoad elaſticam ſuam vim, vel ratione influxus fluidi neruei conſideranda eſt. Is itaque palliatiuam opem affert, qui aut elaſticitatem, a ſolo particularum niſu pendentem, aut nimium fluidi neruei impetum, ad has partes productum, imminuit. In duplici enim hoc caſu, cauſa irritante ſaepius adhuc praeſente, emolliendo et ſopiendo dolores ad tempus leuari poſſunt.

§. 1670.

Partibus itaque, dolore excruciatis, applicentur fotus et balnea aquae calidae vel lactis, quibus etiam herbae emollientes addantur. Iniectiones, clyſmata et cataplaſmata ſimilia, vel additis oleis efficaciora reddita, fibras, quas attingunt, ita emolliunt et relaxant, quo cauſa, dolorem creans, eandem non adeo vehementer afficere queat. Sic calculus,

culus, in tractu viarum urinariarum haerens, his quidem interdum promouetur; interdum tamen fibrae tantum ita relaxantur, ut dolores non adeo viuide percipiantur.

§. 1671.

Anodyna ſimul et emolliente vi agunt emollientia vegetabilia, odore graui praedita, ut flores ſambuci, chamomillae, et ſummitates meliloti, quae externe vel in epithematibus ſiccis, vel ſub forma cataplaſmatis et emplaſtri, applicantur. His quoque pulueres herbae et ſeminis hyoſcyami, nicotianae et cicutae adduntur. Olea preſſa et cocta, ex his praeparata et in linimentis applicata, virtutem emollientem et anodynam quoque praeſtant, tandem et opium ipſum ſimili modo, ut medicamentum externum, applicari ſolet.

§. 1672.

Internus vero anodynorum uſus ſaepius ſumme neceſſarius eſt, licet eorundem vis in fluidi neruei motu ſopiendo magis certa, quam ex indole particularum definienda ſit. Papauerina, ex ſeminibus papaueris albi et floribus papaueris rhoeados parata, medicamenta leniora ſunt. Ipſum vero opium, variis medicamentis officinalibus admiſtum, doſi proportionata et ſenſim aucta exhibitum, omnem quaſi in doloribus et ſpaſmis ſedandis virtutem exercet.

§. 1673.

Licet vero haec opii vis in ſenſu obtundendo, neque ſpecialius explicari, neque ideo indicatio anodyna accuratius definiri queat: attamen, cum poſt

opii,

opii, in primis paulo largius exhibiti, uſum, debilitatem in ſyſtemate neruoſo oriri cognoſcamus, eadem iam praeſente opiata commode exhiberi non poſſe perſpicimus: et hinc quoque diſcimus, uſum non diutius iuſto eſſe continuandum, ne, cum tantum in indicatione palliatiua verſemur, abuſu opii corpora laedantur, et ſtupor, fibris inductus, peſſimos tandem et chronicos morbos efficiat.

# CAPVT II.

## DE EXCRETIONIBVS MODERANDIS.

### §. 1674.

De excretionibus nimiis ſiſtendis paſſim iam egimus, ubi Part. IV. Cap. XI ad XIII. euacuantem indicationem pertractauimus. Euacuatio alia et analoga quidem excitata priorem tollit, ut ſudor diarrhoeam; ſed, quoniam in laxitate et debilitate partium vel in ipſa unitate ſoluta euacuationis largioris humorum cauſa poſita eſt, quae in indicatione curatoria non niſi temporis tractu tolli poteſt, et effectus ſaepius velociſſimi et peſſimi deprehenduntur: quomodo iisdem praeſentaneo, licet ſaepius palliatiuo, remedio occurrere debeamus, nunc diſquirendum eſt.

### §. 1675.

Adſtringentia, ſi interne adhibeantur, ad profluuia humorum ſiſtenda minus apta deprehenduntur; partim enim tardius operantur, partim primas

vias

vias magis, quam remotas, afficiunt. Ea igitur, quae ſub forma epithematis ſicci vel humidi externe applicari poſſunt, melius conducunt. Aqua frigidiuſcula, cuti applicata, ſudores, a laxitate oriundos, compeſcit, neque tamen perſpirationem ſupprimit. Epithemata roborantia, lumbis, perinaeo et pubi applicata, urinae et ſeminis maſculini profluuia coercent.

§. 1676.

Adſtringentia vel potius roborantia interdum cum opiatis coniungere et contraria quaſi ratione agere conſultum eſt. Vti enim roborantibus laxitas corrigitur, ſic opiatis, ſpaſmo inde extimeſcendo, occurritur. In diarrhoeis et dyſenteriis rhabarbarum, vel alia quoque roborantia, addita doſi proportionata opiati medicamenti, egregie corriguntur, fluxusque ventris ſine euidenti teneſmo compeſcuntur.

§. 1677.

Sanguinis profluuia, ex arterioſis et venoſis vaſis minoribus laeſis, refrigerium externum, per aſperſam aquam frigidam, vel epithemata refrigerantia, ex aceto et nitro parata, compeſcunt, quod quidem ob conſtrictionem ſubitaneam vaſorum, et aliquod ſanguinis coagulum, inde oriundum, euenire ſolet. Cum autem in vaſis paulo maioribus laeſis haec methodus vix ſufficiat, ſed grauiores inde oriantur haemorrhagiae, et ligaturae et alia remedia, quae ſanguinis effluxum arcent, applicanda ſunt. §. 1458. Quod, ut eo commodius fieri poſſit, inter ea temporis vaſis maioribus, ad partem affectam pertinentibus, faſcia tortilis iniicienda eſt.

§. 1678.

Si ad locum, ubi ſanguis effluit, medicamenta externa applicari poſſunt, tunc plumaceolis, puluere bouiſtae, tela aranearum aliisque puluerulentis applicatis, paſta ſpiſſa, ex ſanguine coagulato facta, orificium vaſorum ad tempus obturat. Spiritus vini vero aliique liquores ſtyptici in orificia conſtringendo magis agunt, et effuſionem ad tempus cohibent. In priori tamen caſu vulnus impurum, in altero calloſum nimis redditur.

# INDEX

## NVMERVS §. INDICAT.


A.

Acetum ut analepticum 1365. ut diaphoreticum 1588

Acida ut diaphoretica 1588. ut diuretica 1605. 1610. mineralia ut analeptica 1366. ut roborantia 1449. ut venena 1387 ſeq. horum antidota 1407. acidorum in rancida acrimonia uſus 1509 ſeq.

Acrimonia acida 1494. eius remedia 1495. eidem conueniens diaeta 1499 ſeqq. alcalina et rancida 1503. eius remedia 1505 ſeqq. eidem conueniens diaeta 1508

Adſtringentia 1447. 1448. 1675 ſeq.

Aeris vitiati correctio 1377 ſeq.

Agaricus 1571

Alcalina ut diuretica 1610. haec volatilia ut analeptica 1367. ut ſudorifera 1589

Aloe ut purgans 1568

Aluum euacuantia 1553. per eam euacuanda 1554. vid. purgantia et purgatio.

Amara ut roborantia 1444. ut reſoluentia 1480. ut ſudorifera 1590. in inflammatione 1536

Analeptica 1359. eorum indicantia 1360. genera varia 1361 ſeqq. ſpecifica 1368

Animalia venenata 1397 ſeq. diureſin mouentia 1609

Animi adfectuum in aegro moderamen 1382

Anodyna 1671 ſeq. in ſpaſmis 1533

Antimonium ut reſoluens 1486. ut vomitorium 1547

Aqua ut diureticum 1604. ut antidotum generale 1401 ſeqq. frigida ut roborans 1442. aquae medicatae ut purgantia 1562

Arſenicum ut venenum 1388 ſeq.

Arteriotomia 1654

B.

Balneorum differentia et uſus 1595

Balſama ut diuretica 1608

Balſamica ut roborantia 1443

C.

Cacochymiae curatio 1420 ſeqq.

Calx viua ut venenum 1396
Camphorae uſus 1522
Cantharidum uſus 1634
Carcinomatum curatio 1465
Cariei oſſium curatio 1466
Catamenia 1659 ſeq.
Cauſticorum differentia et uſus 1638
Chinae cortex ut roborans 1445 ſeq.
Chirurgia transfuſoria et infuſoria 1648
Clyſmata quid? 1553. eorum indicantia 1577. differentiae et praeparatio 1578
Coindicantia 1338
Contraindicantia 1337

D.

Diaetae errorum correctio 1372 ſeqq.
Diaphoreſis 1582. eam indicantia 1584. compeſcentia 1596
Diaphoreticorum differentia 1582. claſſes 1586 ſeqq.
Diluentium uſus 1423 ſeq.
Diureſi conueniens regimen 1611. eam compeſcentia 1612
Diuretica indicatio 1599. diureticorum deſcriptio 1597. differentiae 1598. indicantia 1600 ſeqq.
Dolor 1667. eius curatio 1669
Draſtica purgantia 1571 ſeq.
Dropaces 1633

E.

Emmenagoga 1661
Emollientia in inflammatione 1536
Euacuatio primarum viarum 1538 ſeqq. per vomitoria 1540 ſeqq. per purgantia 1553 ſeqq. euacuationes ſeroſae 1580. earum differentiae 1581

F.

Fonticuli 1636 ſeq.
Fracturae oſſium curatio 1460
Fructus horaei ut roborantia 1353 ſeq. ut lubricantia 1565 ſeq.

G.

Gummi ferulacea ut reſoluentia 1484

H.

Haemorrhagias ſiſtendi modus 1458. 1677 ſeqq.
Haemorrhoides 1662. iis conueniens indicatio 1663
Hirudinum uſus 1657
Humorum deriuatio 1532. reſolutio 1534. tenuium et

et ſpiſſorum correctio 1472 ſeqq.

I.

Ialappa eiusque reſina 1571
Indicantia 1331. eorum differentiae 1337 ſeqq.
Indicata 1335. eorum fontes 1336
Indicatio 1309. 1333 ſeq. vitalis 1310. 1315. 1341 ſeqq. eius differentiae 1343. cauſalis 1311. 1316. 1370 ſeqq. curatoria 1312. 1317. 1426 ſeqq. palliatiua 1313. 1318. 1664 ſeqq. in dubia regulae 1339
Ipecacuanha ut vomitorium 1545 ſeq.

L.

Lac et inde praeparata ut antidota 1405. ut aluum lubricantia 1563 ſeq. lactis uſus in rancida acrimonia 1608
Laxitas ſolidorum 1437. eius remedia 1438 ſeqq.
Lithontriptica 1603. 1610
Lochia 1659 ſeq.
Lubricantia purgantia 1563

M.

Manna ut lubricans 1567
Mars ut roborans 1449 ſeq.
Maſticatoria ſialagoga 1617
Mel ut lubricans 1565. ut antidotum 1405
Mercurius et inde praeparata ut reſoluentia 1486. ut purgantia 1573. ut ſialagoga 1619
Metallorum calces ut venena 1387
Motus plethorae remedium 1418. roborans optimum 1441. nimio 1512 et imminuto motui conuenientes indicationes 1519

N.

Neruorum vulnera 1459
Nicotiana ut ſialagogum 1618. ut ſternutatorium 1627
Nitrum ut diaphoreticum 1593
Nutrientia 1349 ſeq.
Nutritio aegri 1345. circa eam monita 1346 ſeqq. 1351

O.

Obſtructionis differentia 1524. eius cauſarum diſquiſitio 1526. illa pituitoſa eiusque curatio 1527 ſeqq.
Oleum ut generale antidotum 1401. illud oliuarum ut ſpecificum antidotum 1409. ut lubricans 1563. olea preſſa ut diuretica 1607

Opium ut venenum 1394. ut antidotum 1410. ut anodynum 1672 ſeqq. eius cum purgantibus combinatio 1576. in theriacis vis eminens 1592

P.

Phlebotomia vid. venae ſectio.
Plantae naſturtinae 1481. capillares 1482. reſinoſae acres ut reſoluentia 1483. diureticae 1605 ſeq. venenatae 1393. earum ſalia alcalina ut venena 1396. horum antidota 1407. plantarum vapor, ut analepticum 1361 ſeq.
Plethorae verae 1412. obeſae et a debilitate ortae remedia 1413. eidem conueniens potus 1417. et victus 1415 ſeq.
Plumbum ut venenum 1391 ſeq. eius antidota 1408
Potus aegri 1381. plethorae conueniens 1417. in rigiditate 1431
Purgantia quid? 1553. eorum claſſes 1558. 1574. in cacochymia uſus 1425. cum opio combinatio 1576. illa per epicraſin 1574
Purgationem indicantia 1555 ſeq. quoad ſubiecta 1574. eam iuuantia et compeſcentia 1576

R.

Reſoluentium abuſus et noxa 1491 ſeq.
Rhabarbarum ut purgans 1569
Rigiditas ſolidorum 1428. huic accommodatae indicationes 1429 ſeq.
Roborantia 1352. 1438 ſeqq. externa 1448. 1452
Rubefacientia 1631

S.

Saccharum ut lubricans 1565. ut antidotum 1405
Salia ut reſoluentia 1477. ſeqq. ut diuretica 1604. ut purgantia 1559 ſeqq. eorum indicantia 1561. contraindicantia 1562. eadem antacida 1498
Saliuationi accommodatum regimen 1620. eam coercentia 1621
Sanguinis euacuandi modi 1639 ſeqq. reuulſio et deriuatio 1650. profluuia ſiſtendi modus 1458. 1677 ſeqq.
Saponacea 1485
Scammoneum 1571
Scarificatio 1655 ſeq.

Sennae

Sennae folia ut purgantia 1570
Setacea 1636
Sialagoga 1613. eorum indicantia 1614
Spaſmi medela 1518
Sphaceli auertendi modus 1464
Spirituoſa ut analeptica 1363. ut diaphoretica 1590 ſeq.
Squilla ut vomitorium 1546. ut diureticum 1606
Sternutatoria 1623. 1624. eorum indicantia 1625. abuſus 1626. eorum vim compeſcentia 1630
Stimulantia 1369
Sudor 1582. eum indicantia 1584 ſeqq. compeſcentia 1596
Sudoriferorum differentia 1582. claſſes 1586 ſeqq.
Suppoſitoria quid? 1553. eorum indicantia, differentiae et noxa 1579
Symptomata urgentia 1666

## T.

Tendinum vulnera 1459
Terebinthina ut lubricans 1567. ut diureticum 1608
Terrea ut abſorbentia 1496 ſeq. eorum diaphoretica vis dubia 1593 ſeq.
Therapia generalis 1308. eius tractandae ratio 1309 ſeqq. conſpectus 1314 ſeqq. fundamenta 1319 ſeqq. eidem praemittendae diſciplinae 1321 ſeqq.
Theriacae 1592
Tonica ut roborantia 1443
Topicorum in inflammatione uſus 1535

## V.

Vapor plantarum ut analepticum 1361. 1362. vapores venenati 1389 ſeq. eorum antidota 1400 ſeq.
Venae ſectio 1641. eius indicantia 1642 ſeqq. contraindicantia 1646. 1647. 1651. effectus 1649. in febre 1515. 1516. 1531. in plethora uſus 1412 ſeqq. eidem aptum tempus 1414. conueniens regimen 1652. venarum delectus 1650
Venenum quid? 1384. venenorum diſtributio 1385. effectus 1386 ſeqq. antidota 1399 ſeqq. venena mineralia 1386. 1392. eorum antidota 1407. vegetabilia 1393. 1396. eorum antidota 1405 ſeq. animalia 1397 ſeq. horum antidota 1409
Veſicatoria 1631 ſeq. eorum

rum indicantia 1635. uſus 1523
Viarum primarum euacuatio 1538 ſeqq. per vomitoria 1540. per purgantia 1553 ſeqq.
Victus aegri 1379. plethorae conueniens 1415 ſeq. in rigiditate 1431
Virium vitae incitatio 1357 ſeqq.
Vlcerum curatio 1467. artificialium tractatio 1638
Vomitoriorum differentiae 1545
Vomitus indicantia 1541 ſeq. indicata 1545. contraindicantia 1549 ſeq. eum iuuantia 1548. 1551. et compeſcentia 1552. per vomitum reiicienda 1544
Vulnera curandi methodus 1453 ſeqq. eorum inueſtigatio neceſſaria 1457. curationis diuerſitas a ſubiectis 1461. letalitas unde diiudicanda? 1471. vulnera neruorum et tendinum 1459

## Emendanda.

§. 1325. lin. 5. deſinire *lege* definire. §. 1419 l. 6. ſauguinis *l.* ſanguinis. §. 1449. l. 10. deſtincta *l.* deſtinata. §. 1451. l. 12. aluuus *l.* aluus. §. 1467. l. 5. externae *l.* externe. §. 1507. l. 4. acrida *l.* acria. §. 1548. l. 11. ſinſibilitate *l.* ſenſibilitate. §. 1571. l. 9. partiori *l.* parciori. §. 1600. l. 3. oleoſus *l.* oleoſas. §. 1616. l. 3. Haec *l.* Hae